# JO MARIAE LANCISI ... DE SUBITANEIS MORTIBUS LIBRI DUO, HAC TERTIA EDITIONE AB...

Giovanni Maria Lancisi, Isabella Piccini

Digitized by Google

Digitized by Google

T.

Digitized by Google

Digitized by Google

# DE
# SUBITANEIS
# MORTIBUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

# JO: MARIÆ
# LANCISII

Intimi Cubicularii, & Archiatri Pontificii

# DE SUBITANEIS MORTIBUS

## *LIBRI DUO,*

Hâc tertiâ editione ab Authore aucti, & recogniti.



VENETIIS, MDCCVIII.
Sumptibus Andreæ Poleti.
*SUPERIORUM PERMISSU, & PRIVILEGIO.*

Digitized by Google

*Attendite vobis , ne fortè graventur corda veſtra in crapulâ , & ebrietate , & curis hujus vitæ , & ſuperveniat in vos repentina illa dies.*

Lucæ 21. 34.

Digitized by Google

# CLEMENTI XI.
## PONT. OPT. MAX.

JO: MARIA LANCISIUS
*FELICITATEM.*

M*Ajus, ac juſtius obſequii genus, quàm ſimplicem libri nuncupationem, ſiſto ad* SANCTITATIS TUÆ PEDES, B. P.,

*dum*

Digitized by Google

*dum hos qualeſcumque labores meos, in publicam ſalubritatem Tuo Juſſu, quâ decet veneratione, ſuſceptos, Tibi nunc humiliter offero. Hoc enim, quantumvis tenuiſſimo munere, non ſolùm gratum animum erga Beneficentiſs. Principem; ſed promptam etiam, ac ſollicitam erga Suprema Tua Mandata voluntatem profiteor, & obedientiam. Siquidem, hoc ineunte anno, quo repentinarum mortium ſtrages in Urbe multis jam menſibus graſſabatur, nihil, poſt Divinam imploratam Opem, habuiſti prius, quàm, detectis cauſis, ipſas morborum radices evellere. Hinc, ut*

*ſolli-*

Digitized by Google

*ſollicitudine, curâque meâ Vigilantiſſimæ Providentiæ Tuæ, Principibus aliis ad Populorum ſalutem imitandæ, reſponderem; ſuſpenſo tantiſper ſtudio, Tibi jam debito, Tibique à me plures annos elucubrato, de Motu Cordis, & Aneuryſmatibus; me totum ad iſta converti. Quare Pindari ductu, qui, cùm promiſſum Ageſidamo hymnum diſtuliſſet, adjecit alium breviorem, ut ſorti perſolvendæ uſuram adjungeret; nos, haſce interim moras, præſentes libros, tanquam fœnus majoris operis, Tibi dependimus; hoc certè Pindaro diligentiores, quòd ſortem fœno-* Ode 10. & 11.

re

*re præcurramus. Utinam hæc,* PONTIFEX SANCTISSIME, *id unicè aſſequantur, ut Tuo, univerſos apud homines admirabili, Judicio comprobentur: quo ſanè Judicio, inſigniumque Operum, à Te jam abſolutorum, luce, & exemplis in ſpem erigimur, ut Religionem quoque ad extrema terrarum propagatam, reliquas ſacras Ædes, ac vetera Urbis Monumenta reſtituta, novaque in priſcorum æmulationem Cæſarum ſublimiùs evecta publicè gratulemur; & magnifica inter hæc, naturalibus etiam ſcientiis latiorem viam per tuta, ac ſolida experimenta patefactam*

*pro-*

Digitized by Google

*proſpiciamus: ne quid ſub Tanto Principe ipſa Roma vel Atticæ Academiæ, vel Exterorum noſtræ ætatis inventis habeat invidendum; quorum profectò Conſiliorum magnitudinem nemo cogitatione rectiùs metiatur, quàm nos, qui,* SANCTITATI TUÆ *propiùs adſtantes, famam de Juſtitiâ, de Celſitudine Animi Tui, cum admirabili Moderatione conjunctâ, deque cæteris Virtutibus univerſis latiſſimè diffuſam, veritate ipsâ longè minorem animadvertimus; atq; Tuis in Actibus cunctis ea, quæ rarò in eundem conveniunt, unà concurrere, admiramur, ſum-*



Digitized by Google

*mam nempe Doctrinam cum incredibili Humanitate, Gravitatemq; veteris diſciplinæ, quam crebris jejuniis, & auſterâ pietatis exercitatione profiteris, mirâ cum ſermonis, Morumque ſvavitate conſpirantem; ut qui tam ſublimi faſtigio Poteſtatis, ac Meritorum, præclariſq; Operibus antecellis, tamen aliis Te fœdere charitatis, ac ſenſu Chriſtianæ humilitatis exęques. Ita Deus Te diù ſoſpitem ad Eccleſiæ, & Populorum felicitatem ſervet, ac Cœptis Tuis, votiſque noſtris benignus adſpiret.*

*Ex Quirinali Tuo Kal. Nov. MDCCVI.*

# *Typographus Lectori.*

QUoniam comperimus, à doctis non ſolùm in Arte Medicâ, ſed in omni eruditione Viris cupidè flagitari exemplaria, quæ jam rareſcunt, Librorum de Subitaneis Mortibus Illuſtriſſimi Lanciſii; enixè poſtulavimus ab Excellentiſs. Viris, & Scriptoribus D. D. Antonio Franciſco Bertino, & Jo: Baptiſta Morgagnio, ut proprio illorum, & noſtro nomine aliquot horas à Clariſſimo Authore impetrarent; unde, refrigerato inventionis amore, opus repeteret. Noſtrorum autem votorum, propter ſingularem utriuſque Viri humanitatem, compotes facti, tertiam hanc editionem, novis, innumeriſque interſperſis obſervationibus, & annotationibus, ſummâ, ut fieri potuit, fide, ac diligentiâ in manus tuas de noſtro prælo venire, curavimus. Vale.



Digitized by Google

# NOI REFFORMATORI
## Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. F. Vincenzo Maria Mazzoleni Inquiſitore, nel Libro intitolato – *Jo: Mariæ Lanciſii de Subitaneis Mortibus Libri duo* – non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza ad Andrea Poletti Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 23. Maggio 1708.

{ Ferigo Marcello Proc. Reff.
{
{ Marin Zorzi Reff.

*Agoſtino Gadaldini Segr.*

OR-

# ORDO, ET INDEX

Capitum, Hiſtoriarum, & Scholiorum, quæ in duobus his Libris continentur.

*OCcaſio ſcribendi.*

## LIBER PRIMUS.

CAP. I. *Vita in quo conſiſtat, præſertim apud animalia perfecta.* pag. 1

CAP. II. *Oſtenditur, mortem eſſe individuam, & ſubitaneam, ſed ex hominum opinione variè diſpertiri.* pag. 7

CAP. III. *Quæ vera ſit in hominibus mortis idea, & unde diſcrimina petenda ſint.* pag. 10

CAP. IV. *De naturâ, & differentiis repentinæ mortis.* pag. 13

CAP. V. *Agitur in genere de cauſis mortis, quam vocant repentinam.* pag. 15

CAP. VI. *De cauſis ſubitaneæ mortis ex parte fluidorum majoris uſus, & primò ex parte aeris.* pag. 18

CAP. VII. *De cauſis ſubitanearum mortium ex parte ſanguinis.* pag. 32

CAP.

Digitized by Google

CAP. VIII. *De cauſis ſubitanearum mortium ex parte fluidi nervorum, ſeu ſpirituum animalium.* pag. 35
CAP. IX. *De cauſis ſubitaneæ mortis ex parte ſolidorum majoris uſus, & primò ex parte inſtrumentorum, reſpirationi famulantium.* p. 48
CAP. X. *De cauſis improviſarum mortium ex parte cordis, & magnorum vaſorum.* pag. 52
CAP. XI. *De cauſis improviſarum mortium ex parte cerebri, & nervorum.* pag. 59
CAP. XII. *Subitanei morbi hactenus expoſiti ad tria capita rediguntur, ad Suffocationem, ad Syncopem, atque ad Apoplexiam, quæ & ſimul plerunque concurrunt.* pag. 75
CAP. XIII. *Recenſitæ cauſæ ſubitanearum mortium invincibiles, aut vincibiles exiſtunt.* pag. 78
CAP. XIV. *De ſignis improviſæ mortis, & primò de ſimulatis, ac ſuppoſitis, ſeu ſupplantatis mortibus.* pag. 83
CAP. XV. *Exponitur difficultas inveniendi certa ſigna, quibus dignoſcantur qui naturâ, non arte pſeudo-mortui occurrunt.* pag. 85
CAP. XVI. *De ſignis, quibus pſeudo-mortui à verè mortuis diſtingui poſſunt.* pag. 89
CAP. XVII. *De ſignis medicis, quibus repentina mors prænoſci poteſt.* pag. 96
CAP. XVIII. *Agitur de ſignis futuræ mortis repen-*

*repentinæ , petitis ex læſione inſtrumentorum , reſpirationi famulantium.* pag. 101
CAP. XIX. *De ſignis futuræ ſubitaneæ mortis à corde , magnis vaſis , & ſanguine.* pag. 107
CAP. XX. *De ſignis improviſæ mortis à cerebro , nervis , & liquido animali.* pag. 123
CAP. XXI. *Agitur in genere de methodo præſervandi à ſubitaneis mortibus.* pag. 131
CAP. XXII. *Quâ methodo præſervanda ſint corpora aſpectu ſana.* pag. 135
CAP. XXIII. *De methodo præſervandi à ſubitaneo interitu corpora valetudinaria.* pag. 141

## LIBER SECUNDUS.

De ſubitaneis mortibus, illarumque cauſis, quæ decurſu annorum 1705. & 1706. Romæ contigerunt.

CAP. I. *Quæritur , an cauſa repentinarum mortium , quæ Romæ per hæc tempora graſſatæ ſunt , fuerit univerſalis , & ſimplex , an verò particularis , & mixta.* pag. 165
CAP. II. *Demonſtratur , inæqualem aeris conſtitutionem fuiſſe etiam inter cauſas vagantium repentinarum mortium.* pag. 169
CAP. III. *Adducuntur quædam argumenta ad con-*

*confirmandum, non ex univerſali ſolùm cauſâ tot hominum diſcrimina Romæ contigiſſe, ſed ob morboſas eorundem corporum diſpoſitiones, ac potiſſimùm intemperantiam.* pag. 172

CAP. IV. *Numerus morientium in Urbe forſitan hoc tempore minor extitit, licèt major viſus ſit, ex quo conſveti, & exitiales Romæ morbi nequaquam vagati ſunt.* pag. 178

CAP. V. *Quæ remedia hoc anno jis maximè profuerint, qui à ſubitaneis morbis, repentinas mortes minitantibus, evaſerunt.* pag. 181

## OBSERVATIONES

*Phyſico-Medicæ nonnullorum, qui, cùm primùm iſtiuſmodi repentinis morbis tentati fuerint, feliciter evaſerunt.* pag. 197

OBSERVATIO I. *Apoplexia cum aphoniâ, & paralyſi dexteræ corporis medietatis, phlebotomiâ, catharticis, ac diaphoreticis ſoluta in Illuſtriſs. Archiepiſcopo Bottino.* pag. 198

OBSERVATIO II. *Fortis Apoplexia cum relictâ paralyſi feliciter curata in Matronâ ſexagenariâ.* pag. 204

OBSERVATIO III. *Subita capitis occupatio cum aphoniâ ex affectione cerebri partim idiopathicâ, partim ſympathicâ, proſperè cedens*

dens

*dens in Reverendiſsimo P. Abb. Malaſpina.* pag. 208
OBSERVATIO IV. *Apoplexia cum affectione epilepticâ, & ſyncopali in paralyſim dexteræ medietatis corporis, ſalvâ tunc vitâ, concedens in Illuſtriſs. Præſule Spada.* p. 211
*Ætiologia hujus morbi, & Ægri mors.* pag. 220
*Diſſectio cadaveris.* pag. 225
*Scholium diſſectionis.* pag. 228

## OBSERVATIONES

*Phyſico-Anatomicæ nonnullorum, qui primo impetu morbi repentè per hæc tempora perierunt.* pag. 240
OBSERVATIO I. *Repentina mors ex apoplexiâ ſyncopali in Viro obeſo, & cacochymo.* pag. 243
*Cadaveris diſſectio.* pag. 245
*Scholium.* pag. 248
OBSERVATIO II. *Subita mors ex ſyncope ob cordis magnitudinem, prolapſum, atque aneuryſma.* pag. 255
*Cadaveris diſſectio.* pag. 257
*Scholium.* pag. 258
OBSERVATIO III. *Cita mors ob interceptum motum aeris, & ſanguinis in præcordiis,*

*unà cum cerebri conſenſu.* pag. 269
*Cadaveris diſſectio.* pag. 270
*Scholium.* pag. 272
OBSERVATIO IV. *Repentina mors ex convulſione thoracis, præcordiorum, meningum, ac totius corporis, in fortiſſimam apoplexiam ocyſſimè deſinente.* pag. 281
*Cadaveris diſſectio.* pag. 282
*Scholium.* pag. 285
OBSERVATIO V. *Improviſa mors ex ſubitâ cavæ intrà pericardium diſruptione, cum aneuryſmate arteriæ magnæ.* pag. 294
*Cadaveris diſſectio.* pag. 295
*Scholium.* pag. 299

OC-

Digitized by Google

# OCCASIO SCRIBENDI
## *De Subitaneis Mortibus*.

CUM in Urbe Româ improviſæ hominum mortes, decurſu æſtatis, autumni, & hyemis anni 1705. uſque ad æquinoctium vernum currentis anni 1706. frequentiùs acciderint; atque hinc vulgus, tacito perculſum timore, ac metu errabundum, in diverſa, ut aſſolet, ſcinderetur, nunc pravam tabaci qualitatem, nunc putidos ex præteritis terræ motibus excuſſos halitus, nunc abuſum chocolatæ, nunc ignotum ambientis virus imperitè non minùs, quàm temerè incuſans; meritò Sanctiſſimus, ac Vigilantiſſimus Pontifex CLEMENS XI. primò Animum ad Spiritualia Remedia convertit, fervidis ad Deum fuſis Precibus, no-



Digitized by Google

vâque in Eccleſiâ Univerſali, ad implorandam benè, pièque moriendi gratiam, inſtitutâ Liturgiâ: ſubindè Prudentiam cum Pietate conjunxit, & verè ſapiens publicâ uſus fuit providentiâ, quæ, in tanti mali cauſas diligenter inquirens, eidem opportuna, ſi quæ forent neceſſaria, præſidia porrigeret, vel ſaltèm bonâ ſpe timidas, ancipiteſque populi mentes firmaret. Juſſit propterea menſe Januario labentis anni, ut Protomedicus, & Conſiliarii Medicorum Almæ Urbis Collegii, diſſectis aliquorum, qui repentè deceſſerint, cadaveribus, veras graſſantis Libitinæ cauſas perquirerent; quibus ſanè extiſpiciis me idcirco præeſſe, mandavit, ut, re penitus obſervatâ, ſi quæ magìs ſpectanda occurriſſent, SANCTITATI SUÆ illico referrem.

*Qualis eſſe debeat Principis vigilãtia in his caſibus.*

Omnem interea facturis periculum

lum

Digitized by Google

lum munificam præbuit opem Eminentiſs. Card. Pallavicinus, Gubernator tunc Urbis Meritiſſimus. Qua de re, ſelecto ad cadaverum ſectiones publico Romani Archilycæi Theatro, cœpta fuerunt experimenta.

Poſtulat itaque ſuſpicienda, admirandaque Sollicitudo PONTIFICIS, ut, cùm omnia, quà publica, totius nempe Chriſtiani Orbis, quà privata ſubjectarum Provinciarum ſtudia divino quodam Animi robore Ipſe regat, ac moderetur, faciatque unus, & ſolus, quæ præſens ſtupeat ætas, & miratura ſit poſtera; poſtulat, inquam, ut nos quoque in partem, etſi minimam, Suarum curarum ſcribendi celeritate, atque alacritate veniamus. Et quoniam in cauſas vagantium repentinarum mortium Supremo PRINCIPIS Juſſu ſatìs per cadavera, perque alias ob-

obſervationes inquiſitum fuit, conſentaneum rationi ducimus, peracta, fideliterque deſcripta experimenta ad rationis lancem diligenter expendere: quæ quidem eò nunc liberiùs in manus hominum prodire ſinimus, quòd plures viderimus de ſubitis iſtius anni caſibus ſparſim editas hetruſco, ac latino ſermone Diſſertationes, quæ, utcunque argumentum egregiè attingant, integrum tamen; propter obſervationum paucitatem, perſtrictumque nimis cauſarum examen; minimè complectuntur.

At verò, ut opus hoc nec inutilis, nec indecora doctrinæ varietas commendaret, è re putavimus in primo Libro agere de Subitaneis Mortibus in univerſum, idque eò libentiùs, quò nemo Recentiorum magnum aliquid conferre huc videatur. Multi enim particulatim, & ob-

*Operis diſtributio.*

& obiter, nullus, quòd ſciam, poſt detectam circulationem, generatim, diſcretè, atque ex inſtituto, de hoc argumento ſcripſerunt; viſuri deinde in ſecundo Libro, veluti in hypotheſi, an univerſale, vel particulare, an verò, ut putamus, mixtum fuerit principium, ex quo ſupremi hoc anno fati cauſa tot Romanis Civibus, & Incolis impenderit. Quod variis inſuper obſervationibus anatomicis oſtendere, ac demonſtrare curabimus. Jis fruere, Lector, & vale.

Digitized by Google

Οἱ δὲ ἄνθρωποι ἐκ τῶν φανερῶν τὰ ἀφανῆ σκέπτεσθαι οὐκ ἐπίστανται, τέχνησιν γὰρ χρεόμενοι, ὁμοίησιν ἀνθρωπίνη φύσει, οὐ γινώσκουσι. Θεῶν γὰρ νόος ἐδίδαξε μιμέεσθαι τὰ ἑαυτῶν, γινώσκοντας ἃ ποιέουσι, καὶ οὐ γινώσκοντας ἃ μιμέονται.

At verò homines ex manifeſtis obſcura conſiderare non noverunt; cùm enim artibus utantur ſimilibus humanæ naturæ, id ipſum ignorant. Divina enim Mens edocuit ipſos ſua ipſorum imitari; ita ut cognoſcant, quæ faciunt, & non cognoſcant, quæ imitantur.

*Hippocrates lib.1. de Diætâ num.13.*

Digitized by Google

# DE SUBITANEIS MORTIBUS In genere LIBER PRIMUS.

*Vita in quo conſiſtat, præſertim apud animalia perfecta.*

## CAPUT I.

CUM nemo veram, ac perſpicuam ullius mortis ideam fingere ſibi poſſit, quin claram priùs, atque veram vitæ rationem diligenter expendat; profectò neceſſe in præſens erit, ut, naturam, & cauſas ſubitanearum mortium inveſtigaturi, genuinas vitæ notiones præmittamus. Longas itaque rejicientes diſputationum tricas, quibus Peripatetici ſe ſuis aculeis compungunt; illud unicè advertendum ducimus, proprias, atque individuas rerum naturas per complexum mul-

*Ex vitæ notione vera mortis idea deſumenda.*

*Singularium natura per ideas abſtractas rarò eluceſcit.*

 ta-

Digitized by Google

tarum abſtractarum idearum raró perſpicuas haberi poſſe. Quo fit, ut priſci phyſiologi, dum univerſalem quandam vitæ rationem quærunt, quæ cum plant-animalibus, inſectis, & monſtris, cum piſcibus, brutis, & hominibus adamuſſim congruat, nihil præter confuſionem, & ambiguitatem noſtris mentibus ingerant. Exemplo ſint quæ ſparſim de vitæ conceptibus obſcurè tradidit Ariſtoteles, & collegit inter alios[a] Licetus.

*Ariſtoteles de Vita conceptus tradidit obſcuros.*

[a] Lib. de jis qui viv. ſinè alim.

II. Cùm enim vocum numerus à rebus, rerumque modis longè ſuperetur; cùmque nomina à majoribus noſtris aliquando perperam rebus impoſita fuerint; exindè ſæpe oritur, ut cupientes unâ ſub voce multas res comprehendere, incauti aut falſas, aut ſaltèm obſcuras ideas noſtris cogitationibus infundamus, atque admiſceamus.

*Res, rerumque modi vocum numerum ſuperant.*

III. Qua de re pauca de vita hîc præfaturi, non de quacunque etiam leniſſima fluidorum motione intrà quæcunque reſiſtentium, & cohærentium corporum organa, ex principio ſeminali proficiſcentia, nobis agendum proponimus (etiamſi ſciamus, notionem iſtam univerſales quaſ-

Digitized by Google

quaſdam vitæ regulas , ac rationes in nobis utcunque poſſe ingenerare ) ſed conſilium eſt, noſtram mentem , ſponte alioquin ſuâ per omnia viventium regna vagaturam , ad perfectorum , ut ajunt , ſolummodò animalium vitam inquirendam figere , ac ſeriò determinare.

IV. Quod ſanè ut aſſequamur , memoriâ repetendum eſt ex Anatomicis, & Chymico–mechanicis, tria eſſe in perfectis animalibus organa, quæ propter maximam, quam præſtant, utilitatem, vocamus ſolida majoris uſus ; totidemque eſſe fluida conſimilis neceſſitatis . Solida ſunt primò inſtrumenta reſpirationis, nimirum machina thoracis cum viis ſuis à pulmonibus uſque ad fauces , & os; Secundò cor cum appenſis ſanguiferis canalibus; Tertiò cerebrum unà cum continvatis nervis præſertim viſcerum , quos ſplanchnicos appellant. Fluida verò cenſentur primò aer cum ſubtiliſſimis, perniciſſimique motus, in aere contentis, partibus ; Secundò ſanguis, ſeu fluidum univerſale cum aliis liquidis , illud integrantibus ; Tertiò fluidum illud , quod

*Solida, & fluida majoris uſus, utraque tria, & qualia.*

*Splanchnici nervi quales.*



Digitized by Google

vocant ſpiritum animalem, & ſuccum nerveum.

V. Nunc verò intelligere non erit arduum, vitam in perfectis animalibus (ut conſultò de illorum ſenſationibus taceamus) non uni dumtaxat, ſed complexui plurimorum principiorum, ac duorum potiſſimùm deberi, organicæ nimirum ſtructuræ ſolidarum partium majoris uſus, ſimulque congruæ mixturæ, fluiditati, ac moli partium liquidarum ſimilis uſus, quæ tum inteſtino nixu, tum etiam externâ continentium preſſione perenniter eâ methodo agitantur in nobis, ut, animâ præſide, liquida cum ſolidis mutuò ſibi opitulentur, viciſſimque manus præbeant ad motum. Scilicet quemadmodum ars, naturæ operum imitatrix, ut advertit Hippocrates, qui primus mechanicam in medicinam invexit, quemadmodum, inquam, ars hydraulicas machinas compaginavit, quas eadem aqua mota, dum relabitur, ad certum tempus movet, iterumque movetur; ita multiplici, ac nunquam ſatis admirando divino artificio, idem ſanguis, chylo renutritus, qui in jam natis ab alterno cordis, pul-

*Vita in animalibus perfectis ſolidorum ac liquidorum majoris uſus ſtructuræ, ac motui debetur.*

*Ars naturæ operum imitatrix.*

*Hippocr. primus mechanicam in medicinã invexit.*

pulmonum, ac thoracis motu pellitur, & quaquaverſum per arterias movetur, cùm partim penè immutatus per venas, partim ſub fluidi animalis craſi per nervos recurrat, ac relabatur in thoracem, pulmones, & cor; hæc rursùs viſcera movet, à quibus fuerat dimotus, eritque in poſterum per ſingulas ætates movendus. Similiter cerebrum ſuis cum membranis, quod liquidum animale, propriis è glandulis ſecretum, pro ſua parte ad movendum cor, & thoracem per nervos undatim pellit, accepto viciſſim à corde, ac thorace ſanguine pro illius viribus movetur. Vita igitur perfectorum animalium nihil aliud eſſe videtur, quàm continvus, præſide, ac movente animâ, fluxus, ac refluxus, plùs, minùſve ſenſibilis aeris, ſanguinis, & liquidi nervorum per organa, & ex organis majoris uſus, ſatìs probè conſtitutis, & mutuò, atque alternè plùs minùſve ſenſibiliter agitatis, & agitantibus.

*Vita continvus eſt fluxus refluxuſq; aeris, ſanguinis, & liquidi nervorum per organa majoris uſus.*

VI. Si quis verò definitionem vitæ ex cauſis phyſico-mechanicis ſubtiliter deducere malit, ſatìs habebit, ſi dicat; *Vita eſt potentia, non impedita, machinæ anima-*

*Definitio vitæ phyſico-mechanica.*

*malium ad motum fluidorum majoris uſus*. Ubi ſanè principium ex potentiâ quidem, ſed eâ non impeditâ, deduximus, ut vitam actu, non poteſtate ſolummodo, deſignaremus. Etenim in fœcundati ovi, ſed non adhuc incubati, cicatriculâ ineſt certè potentia ad motum machinæ animalis, ſed ea impeditur à liquidis ſemiconcretis, & à canalibus penè conniventibus. Unde, uſque dum per incubatum impedimenta non tolluntur, fuſis, ſeu rarefactis liquidis, ſimulque explicatis canalibus, animal vivere non dicitur.

*Ad vitæ conſervationem quomodo partes minoris uſus concurrunt.*

VII. Ad Iſtorum deindè motuum conſervationem mirâ profectò energiâ, miroque inter ſe ordine concurrunt innumera alia organa ſub glandularum, tubulorum, muſculorumque ſpecie, per viſcera, artuſque diſperſa; ſcilicet ut fluida partim renoventur, partim defæcentur, ac perficiantur.

*Oſten-*

Digitized by Google

*Oſtenditur, mortem eſſe individuam, & ſubitaneam, ſed ex hominum opinione variè diſpertiri.*

## CAPUT II.

QUæ per compendium in præcedenti cap. de vitæ ratione poſuimus, nos facilè ducent ad ea intelligenda, quæ mortis, ſubitaneæ præſertim, naturam, & diſcrimina, non omnibus obvia, poſſunt oſtendere.

II. Is porrò non ſum, qui mortem repentinam, ut vulgò fertur, raròcenſeam advenire. Nullam enim novi mortem, niſi repentinam, ſive puncto temporis contingentem. Scilicet, ut vitæ principium in puncto ſaliente, cùm omnia concurrunt, ſubitò excitatur: ita vitæ finis, cùm aliquid ad vitæ neceſſitatem conſtantiſſimè deficit, repentè ſemper, hoc eſt puncto temporis, accidit. Iter utique ad mortem, quod ægritudinem, atque agonem appellamus, nunc tardum, ac longum, nunc plùs minùſve concitatum, ac breve, fecit, ut vulgus hominum mor-

*Qualibet mors eſt repentina.*

*Vita, & mors puncto temporis accidunt.*

*Cur Vulgo mors, etſi individua, in plures tamen diſtinguatur.*

Digitized by Google

mortem, ſuâpte naturâ individuam, diſtingueret in longam, brevem, ac ſubitaneam. Illud verò nunquam non maximâ admiratione me perculit, quî nimirum fiat, ut delicata, ac perexilis hæc, affabrèque contexta, ac dimota fluidorum, ſolidorumque compago, quam viventium animalium dicimus, non ſemper citiſſimo, atque improviſo morbo, ſed tam ſæpe naturali confecta ſenio, paulatim contabeſcat, ac diſſolvatur.

*Variæ mortis ſpecies quot modis viventibus utiles.*

III. At enim verò quanquam univerſæ mortes puncto temporis naturâ contingant; earum tamen aliquæ nobis metu, ac dolore præviſæ, ac diù, quaſi dixerim, præſenſæ, aliquæ verò tacitè veluti ſubrepentes, tanquam inopinatæ nobis offeruntur; quæ quidem variæ mortium ſpecies varias, corrigendi mores hominum in præceps labentium, occaſiones, & cauſas moralibus potiſſimùm Philoſophis exhibuerunt; varias itidem Juriſconſultis, Canoniſtis, ac Theologis rationes præbere ſolent judicandi, decernendique circa ea, quæ dicuntur, aut fiunt ab hominibus in extremo vitæ termino conſtitutis. Qua de re fusè diſſerit

Pau-

Digitized by Google

Paulus [a] Zacchia. Phyſicis verò non tam morum, rerumque civilium, quàm valetudinis curam gerentibus, illud præcipuè hujuſmodi moriendi diſcrimina ſuggerunt, ut diverſas illorum cauſas diligenter perquirant, quibus detectis, & cognitis, ipſi judicent, num prævisas neces aliquo excogitato, vel experimentis comprobato remedio avertere queant; & num quæ inopinatò nobis adveniunt, ipſæ quoque occulto aliquo, & peculiari prævideri ſigno, aut exhibito pharmaco, ſaltèm ad animæ ſalutem, aliquantiſper prorogari poſſint. Quòd ſi nec prævideri, nec prorogari ullâ arte valeant, id Medici aſſequantur, ut philoſophiam experimentalem pleniùs illuſtrent. *Pulchrum eſt enim*, ut ſcripſit [a] Hippocrates, *ea quoque addiſcere, quæ in experimentum aſſumpta ſucceſſu caruerunt, & cur ſucceſſum non habuerunt.*

[a] Quæſt. Med. leg. lib. 2. tit. p. qu. 19.

*Philoſophia experimentalis illuſtratur etiam jis, quæ ſucceſſu caruerunt.*

[a] Lib. de artic. n. 46.

*Hippocrat. teſtimonium.*

IV. Itaque hujuſmodi rationibus ducti utemur nos etiam cum vulgo jis differentiis, & nomenclaturis mortium, quæ inter ſe diſtinguuntur, non ex variâ ipſius necis naturâ, cujus una ſemper, eademque proprietas eſt ſubitò invadendi,

*Mortis differentia unde petenda.*



Digitized by Google

di, atque occupandi, ſed ſolummodo ratione cauſæ, ac modi, nimirum morbi, qui mortem infert; vel ratione noſtræ mentis, quæ de futuro interitu ſilet, aut cogitat: idcirco nonnullas ſubnectemus definitiones, ac diviſiones, quas ituris per obſcuros lethi libros lumen aliquod prælaturas non dubitamus.

---

*Quæ vera ſit in hominibus Mortis idea, & unde diſcrimina petenda ſint.*

## CAPUT III.

*Mors eſt totalis ceſſatio motus aeris, ſanguinis, & liquidi nervorũ in organis, & per organa majoris uſus.*

MOrs in hominibus, qui perfectorum animalium ſunt omnium opinione perfectiſſimi, quacunque ex cauſa, & quomodolibet contingat, eſt vera, & omnimoda ceſſatio motus aeris, ſanguinis, & fluidi nervorum in organis, & per organa majoris uſus, quæ naturales ſuas motiones verè, ac omnino amiſerunt; ita tamen firma, & conſtans, ut per naturæ vires reſuſcitari non poſſit; ſeu, ut mechanicè loquamur, *Mors eſt impotentia ma-*

*machinæ animalium ad motum fluidorum majoris uſus*, quam utique animalium motuum ceſſationem, ſeu diſſolutionem nexus naturæ, ut cum Aretæo loquar, neceſſariò comitatur, & conſtituit diſceſſus animæ, quæ, ut momento temporis infunditur, ita momento temporis, planè imperceptibili, ſejungitur à corpore, ac ſeparatur.

II. Hujuſmodi verò abſoluta ceſſatio motuum animalium, & abſceſſio animæ à corpore, quanquam cogitatione citiùs perpetuò contingant; nihilominus tamen, vulgaris conſvetudinis, clarioriſque doctrinæ gratia, mors diſtinguitur in naturalem, immaturam, & violentam; ſingulæ verò in lentas, & ſubitaneas, in prævisas, ac præſenſas, denique in improviſas, inſenſiles, atque inopinatas. *Variæ mortis differentiæ.*

III. Mors naturalis non ea ſolummodo dicenda eſt, quæ decrepitis, ſed quæ, vel jis accidit, quos, etſi annorum numero metientes, paſſim vocemus pueros, adoleſcentes, ac juvenes, adeò tamen languidam ſuorum corporum conſtitutionem, naſcendo, ſortitos fuiſſe, videmus, *Mors naturalis quænam.* *Etiam in juvenibus.*



Digitized by Google

mus, ut breviori temporis decurſu, ſed pari cum ſenibus fato, hebeſcentibus membris, ut Fabius loquitur, ſimiles ſenectæ pigreſcant, ac necem ipſam incurrant; ſcilicet quòd utrobique ſenſim, ac ſinè ſenſu ſubtile illud, atque oleoſo-volatile, fluida, ſolidaque pervadens, ac dimovens, partim tranſpiratum deficit, partim non extricatum deſideratur; unàque ſimul prompta fibrarum diſtractilitas, & contractilitas, lento tabo deficiens, fluida viciſſim excipere, & contra eadem opportunè oſcillare non poteſt.

*Mors immatura qualis.* IV. Mors immatura illa eſſe videtur, quæ ex interno morbo proveniens, homines, cæteroqui ſanos, & vegetos, de medio vitæ tollit.

*Violenta unde dicatur.* V. Mors denique violenta ea firmanda eſt, quæ ab externâ, & cum ſenſibili, magnâque vi agente causâ, hominibus obvenit.

VI. De cæteris verò indicatis mortium diſcriminibus ita procul dubio decernendum putamus, ut eadem oriri dicantur à variis ſentiendi, cogitandique modis, quibus homines diuturno, aut celeri, ſenſibili, aut inſenſibili morbo, atque

que agone confectos, cum ſignis lethalibus, vel ſinè illis ſublatos videmus. De ſubitaneâ ſiquidem, atque improviſâ morte, quippe quæ noſtri ſcopus eſt laboris, accuratiùs proximo capite agendum eſſe, arbitramur.

---

*De Natura, & differentiis repentinæ mortis.*

## CAPUT IV.

SUbitanea, ſeu repentina mors, ultro hodie, vel ipſi vulgo innoteſcit, quominus longo ſermone ſit pertractanda: illa ſiquidem appellari ſolet, quæ per morbum celerrimi motus homines ut plurimum ſanos, vel morbis inducias promittentibus detentos, abſque ullo, vel certè breviori agone de viventium numero tollit; & cùm plerunque inopinatò imperitis adveniat, terribile facit moriendi compendium. *Repentinæ mortis idea.*

II. In ſubitaneâ verò nece diligenter notandum eſt, morbi celeritatem, ex quâ ipſa conſtituitur, aliquando eſſe nobis inſenſilem, & improviſam, ut oc-

cur-

Digitized by Google

*Mors ex præcordiorum paralyſi inſenſibilis.*

currit. e.g. in ſyncope ex præcordiorum, vaſorumque ſanguineorum paralyſi, quæ, nihil nobis de illâ cogitantibus, aut ſentientibus, in mortem tranſire ſolet, ſi perſeveret; aliquando verò ægrotis eſſe ſenſibilem, & curantibus præviſam;

*Syncopem lethalem ex obſtructione, & corroſione magnorum vaſorũ quænam præcedant.*

quemadmodum obſervamus in eâdemmet lethali ſyncope ex obſtructione, & corroſione magnorum vaſorum; hanc enim præcedere ſolent anhelitus, dolores circa cor, pulſus inæqualitates, & animi deliquia, quæ ultro præſentiuntur, mortemque reddunt Medicis non modò prævifam, ſed præcautam. Ut nihil penitus dicamus de vulneribus ſummorum vaſorum, de magnis cerebri contuſionibus, de fulminum ictu, de carbonis empyreumate, de peſte, ſimilibuſque veneficis cauſis, quæ nunc præſenſæ, nunc clanculum, ſæpe tamen repentè ſolent occidere.

*Agi-*

*Agitur in genere de cauſis mortis, quam vocant repentinam.*

## CAPUT V.

HIc ſtatim notandum, nullam eſſe cauſam, ſeu ægritudinem, celerrimè occidere potentem, quæ vires ſuas per diviſibilia temporis momenta non exerceat; & licèt acutiſſimorum, atque maximè exitialium tempora morborum, quos [a] Ranchinus meritò ſubitaneos vocat, velociſſimo curſu compleri, advertamus, nunquam tamen in ſyncope, e. g., aut apoplexiâ, quantumvis ocyſſimè plerunque ſoleant interimere, aliqua temporis momenta non excurrunt, priuſquàm ad illud perveniatur momentum, in quo talis fluidorum, ſolidorumque quies inducta ſit, quam poſt animæ diſceſſum, mortem appellamus. Hoc autem propterea hìc advertimus, ne Lector in poſterum queratur, ſi nos acturi de ſubitaneæ, quam vocant, mortis cauſis, nonnullarum meminerimus, quæ clam, aut palam, ſemper tamen cum tempore, noſtro-

*Subitaneæ mortis cauſæ ſemper cum tempore operari ſolent.*

[a] In ſuo Tract. de morb. ſubit.

ſtrorum etiam ſenſuum judicio operari ſolent.

*Occaſiones ſæpè confunduntur cum cauſis ſubitaneæ mortis.*

II. Præterea monendum ducimus, quædam pro veris ſubitanearum mortium cauſis ſæpe ſæpiùs accuſari, quæ potiùs occaſiones videntur habendæ. *Fine namque vitæ noſtræ*, ut ait Val.[a] Max., *variis, & occultis cauſis expoſito, interdum quædam immerentia ſupremi fati titulum occupant: cùm magis in tempus mortis incidant, quàm ipſam mortem accerſant.*

[a] Lib. 9. c. 12.

*Mortis ſubitaneæ cauſæ duplicis ſunt generis.*

III. Quanquam verò innumeræ ſint cauſæ, quæ ſubitaneas mortes valent inducere, eæque variè inter ſe miſceri, & complicari ſoleant, ut vix ſimplicem invenias; duobus tamen generibus, ad doctrinæ claritatem, aptè diſtingui poſſe videntur, quorum alterum eſt vitium ſolidorum, alterum fluidorum majoris uſus, dummodo vitium ſit conſtans, & maximum. Etenim cùm vitam poſuerimus in motu liquidorum, ac ſolidorum prædicti uſus; certè quidquid citiſſimè, ac pertinaciter enunciata fluida, aut ſolida maximè lædere, vel alternos illorum motus, qui nullo artis, vel naturæ auxilio reſtituantur, tol-

Digitized by Google

tollere poteſt, repentinam mortem inducet.

IV. Et quoniam ut cap. 1. §. IV. monuimus, tria ſunt fluida, quæ vitæ machinam potiſſimùm librant, aer, ſanguis, & ſpiritus animalis, totidemque ſolida, thorax, cor, & cerebrum: eapropter ab horum altero, pluribus, aut omnibus, ſeorſum, aut ſimul, ab internis, vel externis cauſis, modò maximè, & conſtantiſſimè læſis, improviſa mors impendere poteſt: ut enim ſingula hæc, integra cùm ſunt, in vitæ beneficium, ita, ſi vitientur, in maleficium, viciſſim conſpirant, vireſque conſociant.

*Repentina mors oritur ex conſtanti magnâque læſione partium majoris uſus.*

V. Cæterùm cauſas ab animo pendentes ideo peculiari capite à corporeis non diſtinguimus, quia idcirco improviſam mortem interdum accerſunt, quòd ſolidas corporis partes, apud illos, quos interimunt, præcordia ſcilicet, & cerebrum, admodum imbecilla, penèque effracta, aut inveniant, aut efficiant. Unde promiſcuè de utroque cauſarum genere ſcribere conſtituimus.

*Animi paſſiones quomodo mortem improviſam accerſant.*



Digitized by Google

*De cauſis ſubitaneæ mortis ex parte fluidorum majoris uſus, & primò ex parte aeris.*

## CAPUT VI.

VIdimus hactenus in universùm, ex quibus fontibus improviſarum, ut dicunt, necium cauſæ fluere ſoleant; nunc agendum, ut, ſaltèm obiter, internoſcamus modos, quibus aliquæ ex unoquoque genere vires ſuas validiſſimas exerunt.

*Aer multifariàm ad necem ſubitam conſpirat.*

II. Et quidem ex parte aeris celerrimus animalium interitus poteſt contingere, cùm vel moles ejus, vel pondus inſigni diminutione, aut exceſſu laborant; vel id, quod ſubtiliſſimum in aere ad vitæ neceſſitatem natat, & intercurrit, magno aliquo vitio lethaliter afficitur.

III. Diminuitur primò aeris moles in vacuo, per Boylii anthliam facto, ubi animalia ſtatim deficiunt, & mox emoriuntur. Minuitur verò pondus in atmoſphærâ, premendis pulmonibus, & ſanguine reſpectivè leviori redditâ; ut in conclavi nimis calido, & quorundam montium cacuminibus, ubi, ut fertur, ce-

celerem homines interitum ſubeunt, niſi citò illinc reducantur.

IV. Propter auctam molem puri etiam aeris intrà cor (ſi aliquando ex ſanguine ſecerni, ac ibidem ſubſiſtere poſſet) ſubita mors procul dubio contingeret. Celebre eſt doctiſſimi [a] Bohnii experimentum infundendi aerem per ſyringam intrà vivorum venas, unde animalia citiſſimè moriuntur. Hoc tamen non proinde accidere, putarim, quemadmodum nonnulli eruditiſſimi Viri arbitrantur, quòd externus, puruſque aer potentiſſimi coaguli, vel alterius veneni vires induat, exerceatque; niſi venenum appellare velimus quidquid ocyſſimè necat, quo in caſu ſimplex etiam aqua, vel nudus gladius venenum erit: ſed quia aer, affatim intrà præcordia impulſus, ſpatium aufert ſanguini, qui continvus, & continens ſit oportet ex magnis venis in auriculas, & ventriculos, ut cor ex diaſtole migrare faciat in ſyſtolem. Ubi verò aer ſolitarius, vel cum minori, quàm par eſt, ſanguinis quantitate dexteram auriculam, proximumque ventriculum occupaverit; tunc profectò eæ cordis ca-

[a] Progy. 4. circul. Anat.

*Cita mors ex infuſo per ſyringam aere intrà vivorum venas.*

*Rejicitur cauſa ab aliis adducta.*

*Qualis ſit vera cauſa.*



Digitized by Google

vitates vel nullas, vel pauculas continebunt particulas oleoſo–volatiles, quibus unà cum nervorum liquido excitatur alterna tenſio fibrarum muſcularium, ſinus illos comprehendentium. Mors igitur in iſto caſu plùs, minùſve cita, non quidem ex aeris intrà cor præſentiâ, verùm ex neceſſarii ad motum, cruoris abſentiâ oriri dicenda erit. Vide quæ cap. VII. num. 1. & 2. trademus; ſed multò uberiora dabimus in lib. de Corde.

V. E contrario adaugetur pondus aeris, ejuſque compactior evadit elater in quibuſdam metallicis fodinis. Narrat etiam Boylius, ex peculiari flante apud Septentrionales vento, homines repentè interire: tanta enim ejus eſt denſandi vis, ut vel hiſpanicum vinum conglaciet.

VI. Tandem magno aliquo vitio noxius, ac lethalis fit aer, ut ex fumo carbonum in conclavi clauſo, ex conſtitutionibus peſtiferis, ex veneficis, vel, peculiari ratione particularibus naturis incongruis, odoramentis, aut ſævâ quadam, ac naturali mephiti; ut etiam ex ſepulchris, aut frumenti puteis diù clauſis, cùm primò aperiuntur; quæ omnia ſolent

Digitized by Google

lent inopinatò animalia ſuffocare, & interficere, denſatâ potiſſimùm, aut vitiatâ illâ, quæ per cranii meatus, & pulmonum porulos permeare deberet, particularum mixturâ, quæque ſubtilis alioquin, & neſcia quietis, ut ſanguini fluiditatem, ac reſpectivam levitatem, ita & nervis ſpirituoſum vitæ igniculum erat conciliatura.

VII. Sed quoniam non una, eademque omnibus in animalibus aut pulmonum laxitas, aut fluidorum mixtura invenitur; hinc non omnibus eadem nocent inquinamenta aeris; ex quo evenit, ut particulares narrentur peſtes, quæ nunc ſolos homines, nunc hoc, vel illud pecudum genus interficiunt. Quinimo, cùm una, eademque minima ſolidorum textura, ac particularum ſanguinem integrantium proportio nec ſemper, nec ſingulis hominibus accidat; hoc ſanè in causâ eſt, cur, ſæviente peſte, in eâdem urbe, ac etiam domo, alii pereant, alii ſerventur. Adeò verum eſt, ad labem, ex aere potiſſimùm contrahendam, eouſque valere corporis diſpoſitionem (quam utplurimum intemperans, atque in-

*Aer juxta corporum diſpoſitionem apparet noxius.*

Digitized by Google

incontinens vitæ genus infert ) ut propterea nonnullis in medio Tiburi, Sardinia ſit.

VIII. Cùm verò viginti ab hinc annis Eruditus Juvenis, meuſque olim diſcipulus Antonius Donarellus me conſuluiſſet de repentinâ quadam ſyncope, præcocique morte ex ſubitò perruptâ ſerpentis cavernâ, cujus rei tum hiſtoria ad nos data, cùm noſtra ad illum reſponſio ſuprapoſitam de labe aeris, diù concluſi, doctrinam confirmet, atque illuſtret, opportunum duxi utramque epiſtolam Lectori communicare.

*Cla-*

Digitized by Google

# *Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro*
### *Præceptori olim meo*
## D. JO: MARIÆ LANCISIO
### *In Romano Archilyceo Anat. Prof. Celeberrimo.*

ANTONIUS DONARELLUS S. P. D.

MUltis, magniſque tuis expertus ſum officiis, quantâ me proſequaris humanitate, ut novum nunc beneficium fidentiùs optem, atque abs Te alacriùs ſperem. Hoc ſanè acre eſt, ac ſincerum Judicium tuum de quodam rariſſimo caſu, qui apud nos contigit elapſis diebus.

Ruſticus valetudinarius, ætatis ſuæ annorum 23., cùm prope antiquam quercum effoderet, illamque, percutiendo, in ruinam daret, fortè fortunâ prægrandem ex magnâ illius arboris cavernâ vidit egredientem ſerpentem, cujus poſt triplicem ſibilum in terram ipſe cecidit ſuorum omnium cum ſenſuum jacturâ. Sed vix parvus, abjectuſque ad officia rediit animus, cùm accurrentes ſodales agreſtem hunc juvenem ſtatim illinc abdu-

*Hiſtoria.*

*Animi deliquium.*

*Symptomata exitialia.* ducunt, & capitis dolore, ſopore, vomitu, extremarumque partium perfrigeratione miſerè correptum, ac paulò poſt rurſus in lypothymiam labentem viderunt; tandem duas circiter intrà horas cum ſupervenientibus ſignis propinati veneni è vivis ſublatum dolentiſſimi col- *Præcox mors.* lacrymarunt. Interim ipſe ego tunc temporis accerſitus, mœrens, & admirans, lividum cadaver obſervavi.

Poſtulo nunc, quam Tu, Clariſſime Vir, fuiſſe judicas iſtius mortis cauſam, ſcilicet an ſolum timorem, an etiam venenum, per oculos, aureſque infuſum? an fortè ſerpentis ſibilum, qui lethiferas particulas intrà Juvenis corpus per vias narium, oriſque urgere potuerit? Habes, Doctiſſime Lanciſi, quibus acerrimum, & ſingulare ingenium tuum exerceas. Vale, & me, perinde ut filium, precor, ames, dum ipſe, Hippocratici memor Jurisjurandi, Te Parentis loco aſſiduè veneror, & colo.

*Datum Introduci prid. id. Aug.*
*MDCLXXXVI.*

*Stu-*

*Studioſiſſimo, optimæque ſpei Juveni*

## D. ANTONIO DONARELLO

Jo: Maria Lancisius S. P.

Video Te admodum ſollicitum, quid ipſe ſentiam de causâ repentini morbi, & præcocis mortis deſcripti Juvenis. Dicam graves inter occupationes breviter, & apertè; Petis enim non minùs curioſa, quàm utilia. Unicè quidem tu quærere videris, quid cauſæ fuiſſe putem, cur ſanus alioquin Juvenis tam citò deceſſerit? Scilicet an ſolum timorem, an etiam hauſtos veneficos, cum ſerpentis ſibilo extruſos, halitus?

*Qui ex ſimplici timore pereũt, quomodo dignoſcantur ab jis, qui ex cauſis venenatis celerrimè decedunt.*

Porrò qui ex ſimplici timore pereunt, ji ſubitò quidem, ſed citra ſigna propinati veneni, extingvuntur; ut tibi, per Hiſtoricorum monumenta diligenter vaganti, clarè poterit innoteſcere. Non ergo tuus Adoleſcens, qui pravis poſteà ſymptomatibus correptus fuit, ex nudo timore interfectus eſt. Utique exibilans inviſus ſerpens per nares, oculoſque repentinam, maximique momenti in Ru-

 ſtici,

*Subitus timor quomodo lypothymiam interdum inducat.*

ſtici, alioquin valetudinarii, cerebro excitare potuit terroris ideam, ob quam illico, violenterque contractis illius fibris, propagatoque ſpaſmo ad uſque præcordia, continvò perturbatus ſubſtitit fluidorum motus, ac proinde infelix juvenis animo defecit. Sed hæc in illo malorum initia, atque excitamenta fuerunt.

*Vera mortis cauſa qualis.*

Enimverò quis adeò in rebus phyſicis hoſpes eſt, qui poſſit inficiari, ad veram hujus ægritudinis, mortiſque cauſam acceſsiſſe veneficum virus, quod non ex ſerpentis modò viſceribus, unà cum ſibilo expulſum fuit, quemadmodum haud immeritò hæſitare videris; ſed maximè ex concuſsâ, apertâque quercus cavernâ repentè in libertatem venit, illumque aerem, qui circùm Juvenem fluitabat, implevit, atque inquinavit; quo factum eſt, ut homo miſerrimus unde vitæ alimentum trahebat, repentè morbum hauſerit, ac mortem.

*Cujus generis, & quomodo exaltetur venenum in cavernis arborum ex morâ ſerpentum.*

Qualis præterea extiterit ſpeciatim hujus mixtura veneni, & quomodo idem in quercus cavernâ mortiferam indolem nactum fuerit; quid cenſeam, tibi oſtendam. Sanè, ubi vetuſta quercus teredine

cor-

corroditur, prægrandemque ſuâ in medullâ concamerationem undique ſtipatam admittit, tunc non raro anguiculus, foris intrò per cuniculoſum fortè inventum, vel factum, ſubterraneum arboris corticem ſubrepens, cavernam ingreditur, ibique teredinum, lignearumque ſcoriarum pabulo nutritus, ſenſim adoleſcit. Interim verò ſulphur impurum ex ulceribus ligni, atque ex malè olente ſerpentis perſpiratu jugiter effluit, quod neceſſariò cum acribus ſalibus ipſarum fæcum, & urinæ, quas fera illa egerit, cohobatur, intimè permiſcetur, ac, eo loci diù ſuſque, deque agitatum, in peſtiferum ſpiritum evehitur, qui tandem, convulſo, apertoque arboris antro, (ut ex ſubitò reſeratis ſepulchris, frumenti foveis, latrinis, & cloacis non raro contingit) turbidas exilit in auras, quæ non tantùm hominum ſanguini, ac ſpiritibus, puro ſulphure, dulcique ſale volatili conſtantibus, ſunt penitus lethiferæ, ſed, quod ſummè notandum, pulmonum porulos, per quos ſubtiles aeris partes intrà venas ingrediuntur, cùm implendo, obſtruunt, tum irritando, per- *Quomodo, & per quas vias in ſanguinem feratur.*

ſtringunt, eâque ratione commercium boni aeris cum ſanguine, & cum cerebro, ad vitam adeò neceſſarium, celeriter intercipiunt.

*Symptomata expenduntur.*

Hujus profectò exitialis auræ vires expertus eſt deſcriptus Ruſticus, cæteroquin valetudinarius, qui ſtatim atque venenatum aerem per nares, ac fauces excepit, ſua ſenſit ſolida irritatione affecta, ac fluida lue quâdam inquinata. Unde non ſolùm dolor capitis, vomitus, ac ſopor, ſed etiam lypothymia, cæteraque ſymptomata ſuborta ſunt, quæ propinati toxici indicia paſſim habentur. Diffuſo enim veneno quaquaverſum per corpus, tum corruptiva quædam fermentatio excitatur, propter quam cadavera tumefiunt, ac liveſcunt; tum eroſiones inducuntur, ex quo ungues, ac pili decidunt, & reliqua, horroris plena, ſymptomata apparent.

Scio, graves inveniri Authores, quos inter [a] Guainerius, [b] Foreſtus, & [c] Zacutus, qui venena non ſolùm per nares, atque os, ſed per reliquos etiam externos ſenſus in homines aliquando propagari poſſe, judicaverint. Hoc tamen in du-

[a] Lib. de venen.
[b] Lib. 30. obſ. pr. in ſchol.
[c] De med. Princ. hiſt. l. 5. hiſt. 3. in paraphr.

*An venena per omnia ſenſuum organa traduci poſſint.*

dubium de oculis, atque auribus, quatenus duos peculiares ſenſus, à ſenſu tactus omnino diſtinctos, conſtituunt, me judice, facilè revocabitur, ſi planè intelligamus, utrumque ex jis organis texturâ adeò arctâ donatum, multiplicibuſque machinulis vallatum eſſe, ut de medio aereo nonniſi tenuiſſimas lucis particulas, undulanteſque tremores valeat admittere, qui nihil vitæ animalium hoſtile (dummodo amoris, timoris, mœroriſque cauſas excipias) intrò ſolent transferre. Latior contra, atque expeditior lethiferis corpuſculis in hominum viſcera patet via per os, ac per nares, quorum foramina in cerebrum, in pulmones, atque ventriculum altè penetrantia, luem aeris ad liquidi nervorum, ad ſalivæ, ad chyli, ad ſanguinis denique commercium illico poſſunt transducere.

*Negatur, & quare, de oculis, auribuſque.*

Quòd ſi adverteris apud Amatum Luſitanum [a] hiſtoriam Viri Anconitani, qui, cùm vineam putaret, ſerpentem offendit, eoque interfecto, repentè conqueri cæpit de capitis dolore, mox febricitavit, demum, omnibus graviori-

bus

[a] Cent. pr. curat. 62.

*Ex interfecto ſerpente mors.*

bus factis, die 11. obiit: cujus farinæ plura proſtant exempla apud [a] Gal., [b] Plin., [c] Scalig., alioſque relatos à [d] Schenchio; certè minus admiraberis noſtrum caſum, in quo non tantùm de ſerpentis corpore, quantùm de cavernâ veneficus halitus erupit, atque in Ruſticum, viribus jam hebetem, terroreque perculſum, inſiliit.

[a] Lib. de ther. ad Piſonē c. 5.
[b] Lib. 8. c. 21.
[c] Exercitat. 200. contra Cardanum.
[d] Lib. 7. obſ. 92.

Quid nunc dices, ſi veram credideris rariorem hiſtoriam, à [e] Geſnero deſcriptam, cujuſdam hominis, qui è viventium numero ſublatus fuit, cùm balneo dumtaxat ſe merſiſſet aquæ, calefactæ ex lignis, exciſis à cavernis ſerpentum? Dices profectò, hujuſmodi animantia genus eſſe ferarum fœtidiſſimum, ac peſtiferum: quo fit, ut circa illorum viciniam teter ſemper expiret odor.

[e] Lib. 50. de ſerpentibus.

*Ex balneo calefacto cum lignis venenatis mors.*

Cæterùm ſi curioſus adhuc poſtules, cujuſnam fuerit ſpeciei, & quo nomine compellandus ſerpens ille, qui intrà querneam, à te ſignificatam, cavernam hoſpitabatur, ſuccurrunt ſtatim Ballonius, aliique, quos recitat [f] Sebitius, qui hujuſmodi ſerpentes appellant *Dryinos*, & latinâ voce, propter eorum domicilium, *Quer-*

[f] In appendic. ad diſcurſum med. philoſoph.

*Serpentes, qui morantur in quercubus, vocantur Dryini.*

*Querculos*, qui ſanè, ſi credere fas eſt, in immenſam penè magnitudinem belluæ, in quam reliqui ſerpentes haud ſolent, creſcere aſſeruntur.

Tu interim, mi Donarelle, virtuti, ut facis, ſtudere perge: nec velim dubites, me filii loco te ſemper habiturum, & eo quidem filiorum genere, qui, cùm ſuis dent gloriam Præceptoribus, plùs amantur, quàm filii carnis, qui ſæpe Parentum fortunas, famamque diſperdunt. Vale.

*Datum Romæ Kal. Septembris*
*MDCLXXXVI.*

---

IX. At verò de vitiis aeris, ſubitas mortes inferentibus, ſatìs, ut arbitror, dictum eſt. Nunc inceptum ordinem proſequamur.

*De*

Digitized by Google

### *De Cauſis ſubitanearum mortium ex parte ſanguinis.*

## CAPUT VII.

*Sanguis quadrupliciter mortem intentat repentinã.*

EX parte ſanguinis improviſam mortem intentant quatuor præcipuæ ejuſdem affectiones. Primò præceps, ac talis diminutio molis ejuſdem, quæ, cordi, & cerebro ſubtracta, alternum horum viſcerum motum, & circuli continvationem penitus tollat. Hinc ſanguis à majoribus venæ cavæ, & pulmonicæ truncis, vel à corde, ſummiſque arteriis, pulmonicâ ſcilicet, & aortâ, affatim erumpens, verè improvisò vitam intercludit; ſi enim à ſanguiferis, intrà cerebrum apertis, effluat, non adeò ſubitò mortem accerſit, ut ſequenti capite, vel appoſito exemplo, demonſtrabimus.

II. Secundò celerrima pariter, nimiſque abundans ejuſdem ſanguinis, præſertim efferveſcentis, ad cor, atque ad cerebrum confluxio, & quâvis ex causâ, mora pertinax, ubi langueſcenti vi circumpulſivæ horum viſcerum validè reni-

Digitized by Google

nitatur, & vitæ curſum, quem in motu poſuimus, continvò ſuſpendat; ut in jis obſervatur, qui, ſubito timore, mœrore, vel gaudio perculſi, repentè concidunt; aut qui nimiâ plethorâ ſaginati, vel qui poſt corporis excalefactionem, ſive præſente aliquâ evacuatione, frigido potu, vel balneo utuntur. Non enim capacitas ad continendum, & vis ad pellendum ſanguinem in corde, & appenſis vaſis ſunt indefinitæ, atque immenſæ; verùm proportione reſpondent certæ, ac determinatæ moli, & gravitati ejuſdem ſanguinis, quem nonniſi citra violentam diſtractionem, ac reſiſtentiam capere, atque urgere poſſunt. Ecce jam, inquit Cl. [a] Harvæus, duo ſunt genera mortis, extinctio ob defectum, & ſuffocatio ob copiam. Hinc ob oculos exemplum utriuſque habere licet, & dictam veritatem autopſiâ in vivorum corde confirmare: etenim comprehensâ venâ cavâ vel tenaculis, vel pollice, ſanguiniſque curſu versùs cor intercepto, ſtatim videbis, cor albidiori admodum colore fieri, & languidiùs pulſare, ut emori denique videatur. Poſtea verò, ſi re-

[a] Exerc. pr. de mot. cord. cap. 10.

*Pulchrum Harvæi experimentum.*

E lin-

linquas venam; & arterias ſimiliter per aliquam diſtantiam à corde ligaveris, videbis contra, illas vehementer turgere in parte comprehenſâ, & cor ultra modum diſtendi, purpureum colorem contrahere uſque ad livorem, & tandem opprimi ſanguine, ſic ut ſuffocatum iri, credas.

III. Tertiò vitam ſæpe confeſtim adimit illud ſanguinis vitium, quod ab hypochondriis, ab utero, vel aliunde, ac præſertim à ventriculo communicatum, propter ſummam acredinem, vel aliam externis ſenſibus non ſatìs expoſitam qualitatem, præcordia, & cerebrum convellit, & valde efficax eſt ad fluida vel coagulanda, vel diſſolvenda; quibus in caſibus magna interdum ſeri copia, ex coacto intrà pulmonum, ac cerebri vaſa ſanguine, violenter extruditur, & in thoracis, vel cerebri cavitatibus colligitur; hinc frequens erroris anſa apud minùs in arte peritos, qui, lympham in ſinubus cerebri invenientes, illam apoplexiæ cauſam, cùm plerunque fuerit dumtaxat effectus, accuſare ſolent.

*Lympha in cavitatibus collecta, injuſtè pro morbi causâ plerunque ab imperitis accuſatur.*

IV. Poſtremò peſtiferum quid, ac planè veneficum in ſanguine vitium, hau-

hauſtum ex aere, ex ingeſtis per os, aut aliunde, recondi poſſe, experimur, quod dato tempore, vires ſuas in ſpiritus, cordiſque, ac cerebri fibras exerat, ignoto ſanè, tacitoque molimine, ac veluti ſyderatione.

---

*De cauſis ſubitanearum mortium ex parte fluidi nervorum, ſeu ſpirituum animalium.*

## CAPUT VIII.

QUod denique ad tertium maximi uſus fluidum, nempe ad liquidum nervorum, ſeu ſpiritus animales, attinet, jis profectò, utpote à ſanguine derivatis, eadem vitia congruè aptari poſſunt, quæ modò ipſi ſanguini attribuimus. Etenim primo loco, ſubtractâ, vel interceptâ contumaciter tantâ ſanguinis copiâ, quanta per carotides, & cervicales arterias, earundemque plexus ad cerebri, & cerebelli cortices naturaliter fluxura eſt, ut liquidum nervorum ſeparetur, ſtatim debent & ipſi ſpiritus, qui ex ſolo ſanguine ſe-

*Multiplex ſpirituum defectus improviſæ mortis cauſa.*



Digitized by Google

cernuntur, deficere. Hoc ſanè contingit in magnis ſanguiferorum circa jugulum vulneribus, vel intrà cerebrum rupturis; in quibus poſtremis, ſi fuerit ingens copia effuſi ſanguinis, ejuſdem procul dubio defectum mortifera cerebri, ac cerebelli compreſſio (unde ſpirituum animalium interceptio) ſequatur, neceſſe eſt.

II. Et quidem adeò valet moles jam effuſi intrà cranium ſanguinis ad celerem mortem inferendam, ut, etiamſi non ex arteriis, ſed ex venis egreſſa fuerit, nec magnam liquido animali materiam ſubtrahat, adhuc tamen, propter ſolum infarctum, & compreſſionem, citò necare ſoleat.

*Sanguinea vaſa in præcordiis diſrupta, ſubitam mortem; in cerebro autem, non ita celerem inferunt.*

III. Eſt hîc tamen loci, ut diligenter attendamus, illos verè ſubitò interire, quibus in præcordiis ſanguineum vas diſrumpitur; eos verò, quibus intrà calvariam hoc infortunium accidit, nonniſi poſt multas horas, quantum nobis huc uſque obſervare licuit, necem ſubire. Et quoniam exemplis clariùs inſtruimur, quàm commentis; idcirco caſum ruptæ ad cerebri baſim venæ, quippe

quem

quem ob ſuas circumſtantias rarum arbitramur, fideliter ſubnectemus.

*Hiſtoria aphoniæ, convulſivorum motuū, tandemq; apoplexiæ, & mortis ex diſruptâ venâ ad cerebri baſim.*

IV. Vir Nobiliſſimus ſexagenario major, gracilis, ac bilioſi habitus, acerrimi ingenii, hypochondriacis, ac vertiginoſis affectionibus ab ipsâ juventute obnoxius, ante aliquot annos prævio capitis calore, ſanguineas cum metu quidem, at ſine noxâ lacrymas effundebat. Deinde circa hyemale ſolſtitium anni 1706. poſt graviſſimas animi curas, uberrimâ narium hæmorrhagiâ tentatus fuit; cui ſiſtendæ cùm nos nihil efficax neque in chirurgiâ, neque in pharmaciâ inveniremus, inito conſilio cum Excellentiſſimis Curantibus D. D. Dominico Gagliardi, & Jo: Thomaſio, ad topica, nimirum ad pulver. ex calcant., opio uſto, & fungo Melitenſi, veluti ad ſacram anchoram, lentè, ut decebat, confugimus. Sed, cùm elapſis aliquot horis, rurſum ſanguis efflueret, Æger, ut fieri ſolet, longioris moræ impatiens, ad anceps potiùs, quàm ad tutum remedium recurrendum eſſe, ſibi ſvaſit, novumque proinde, nobiſque planè ignotum, pulverem, cùm ſe priùs fortiter emunxiſſet, naribus hauſit; at-

que

que confeſtim, excitato ſenſu urentis irritationis, ſubſtitit hæmorrhagia, quam illico excepit ſumma capitis confuſio, oculorumque pruritus, itaut Nob. Vir mortem ſibi jamjam inſtare, timeret. Qui tamen, deſpumato jam majori ex parte ſanguine, ac depuratis deinceps hypochondriis, utcumque bene ſe habuit uſque ad Kalendas Aprilis 1707. quo tempore priùs capitis gravitate, & calore, deinde horâ quintâ noctis ſextæ ejuſdem menſis repentinâ correptus fuit aphoniâ, in quâ initiò mentis officia minimè ſublata ei fuiſſe, probabiliter indè judicatum eſt, quòd ipſe, vel ſentiens irritationem, vel ſperans venturam hæmorrhagiam, validè, atque identidem, converſis ad adſtantes oculis, nares emungeret. Sed quoniam vena, quæ forìs jam ſanguine utiliter manaverat, propter eſcharoticum errhinum forſitan obcalluit, peſſimo fato interiùs rupta eſt. Idcirco, incaſſum tentatis omnibus revellentibus, ac phlebotomiis non modò ex venis brachii, ſed etiam juguli, poſt jactatos huc illuc artus, forti proſternitur apoplexiâ, quæ ſpatio

tio

Digitized by Google

tio quinque circiter horarum illum perdidit.

*Quæ in cadavere obſervata fuerunt.*

V. In cadavere dura mater ſolito craſſior, & undequaque cranio fortiſſimè adhærens inventa eſt: ſanguinea piæ matris vaſa uſqueadeo turgida, & varicoſa, præſertim ad anteriorem cerebri partem, ut coralliorum ramis viderentur ſimilia.

*Quale fuit ſanguiferum vas intrà cranium diſruptum.*

VI. In utroque anteriorum ventriculorum quantitas coacti ſanguinis non minor ſemilibrâ continebatur; quinimo non parva cruoris moles, eaque fluidior, diffuſa occurrit per reliquas cerebri cavitates uſque ad ſpinalis medullæ principium, ac ſub eo præſertim duræ matris ſegmento, quod cerebrum dividit à cerebello. Neque ſibi defuit celebris diſſector D. Cecchinus, ſedulò inquirens in foramen diſrupti ſanguiferi, quod oſtendit fuiſſe propaginem venæ jugularis internæ, quæ ſanguinem regerit à partibus finitimis oſſis ſphænoidis, quæque ramuſculum, ſuperato cranio, ad radicem naſi, unde jam ſanguis effluebat, dimittere ſolet.

VII. Reliqua cum naturalia, tum vitalia viſcera nullo ſenſibili vitio, præter

ali-

Digitized by Google

aliquam contentorum fluidorum culpam, laboraſſe deprehenſa ſunt; ut non ſit dubitandum, quin ad ſubitum morbum, citamque mortem accerſendam, defectio unius fluidi, vel ſolidi majoris uſus, atque in noſtro potiſſimùm caſu, interceptio ſpirituum animalium ab effuſione ipſius ſanguinis intrà cranium, abundè ſufficiat.

VIII. Sed quanquam hujus interitus cauſa ſit apertiſſima; nonnulla tamen ab ipſo extiſpicio deducemus corollaria, quæ tum diſcentibus, tum ſcientibus utilia fore, ſperamus.

*Præceps aphonia plerunque oritur ab interceptione venarum ad cerebri baſim.*

IX. Primò ſanè docemur, ſubitaneam aphoniam vix aliunde oriri, quàm ab interceptione venarum ad cerebri baſim, unde nervi, in linguam protenſi, ad perpendiculum premuntur. Et ſi quidem interceptio iſta magna fuerit, cumque magno, & pravo corporis apparatu, nec brevi ſolvitur, nec ſinit ſanguinem regredi ab anteriori præſertim cerebri parte, atque à plexibus, qui intrà ventriculos locantur: quo certè fit, ut vaſa illa non ſolùm tumeant, ſenſimque capiplenium, & apoplecticum affectum,

*Quomodo, & quando ſi non ſolvatur, oritur apoplexia, & venarum diſruptio.*

gra-

gravando, urgendoque, producant, ſed, quod magìs eſt, ſi contineant ſanguinem erodentibus ſalibus refertum, perrumpantur, eodem planè modo, quo externæ contingunt hæmorrhagiæ, & quemadmodum contigit in expoſito caſu.

*Sanguis effuſus ſupra alterum cerebri hemiſphæriũ, apoplexiam cũ paralyſi, in baſi verò, potiùs aphoniam, & convulſionem, tandemque apoplexiam inducit.*

X. Secundò erudimur, quòd quemadmodum ſanguis, ſi ſupra alterum cerebri hemiſphærium effundatur, unum dumtaxat corticem comprimendo, ac ſimul obſtruendo, inducit tandem apoplexiam, & eam quidem cum illius lateris paralyſi, quod affecto hemiſphærio reſpondet; ita idem ſanguis ſi effluat ex vaſe, ad cerebri baſim poſito, ut plurimum gignit aphoniam, jactationes, denique apoplexiam citra præviam paralyſim, dummodo alia non concurrant, quæ paralyſim inducunt. Etenim egrediens è perrupto vaſe ſanguis, ob conceptum jam impetum propter motum circularem, eò influit, quò patet aditus per omnes ventriculorum cavitates uſque ad principium ſpinalis medullæ, cujus tam dextrum, quàm ſiniſtrum intrà calvariam locatum caudicem calore primùm, & mole, mox etiam acredine,



Digitized by Google

quæ rarò abeſt, quaquaverſum æqualiter incendit, premit, atque irritat; unde injuſſi quidam artuum motus, ſeu jactationes abſque paralyſi naſcuntur; deinde verò, extra ſuas ripas uberiùs diffluente cruore, longè major preſſionis vis undequaque adjungitur, quæ animalium ſpirituum curſum tam à cortice versùs medullam, quàm à medulla versùs externas partes intercipit; atque hinc apoplexia, & mors ipſa ſuccedit, quas profectò fatales calamitates noſtro Ægroto celerrimè contigiſſe, conſpeximus.

*Eſcharotica nunquā ſpontaneis in hæmorrhagiis adhibenda.*

*Transfer huc quæ narrantur de copioſiſſimâ æquè, ac utiliſſimâ hæmorrhagiâ in ſene lib. ſeq. c. 5. num. 8.*

XI. Poſtremò unum elicimus corollarium, ad praxim, ni fallor, utiliſſimum. Scilicet naribus ferè nunquam eſcharotica pro ſiſtendâ ſpontè ortâ hæmorrhagiâ, ne quidem apud ſenes, admovenda eſſe. Etenim rariſſimè ex hujuſmodi ſanguinis fluxibus ægros deceſſiſſe, contra verò ſæpe ex violentâ illorum ſuppreſſione celerem morbum, citamque etiam mortem inferri, comperimus. Sanguis enim, cùm induratum, ac renitens vas exteriùs invenit, minimo negocio, eâdem recurrente exitus neceſſitate, alicubi internum canalem diſ-

rum-

rumpit. Erit igitur curantis officium cauſam pro virili parte corrigere, motumque ſanguinis aliò avertere. At nunquam de claudendo violenter dehiſcentis venæ ore cogitare debebit, niſi cùm ægroti vires verè langueant; nec illas ex ipſius ægri querelis, aut vanis Conjunctorum terroribus metiri debebit, ſed ex pulſu, qui ſpontaneis in hæmorrhagiis cùm plerunque durus, magnuſque eſſe ſoleat, nos de ſpe minimè depellit; à qua tunc deturbandi erimus, cùm exilis evadit, extremaque frigent.

XII. Neque id ſanè reticeam, quod facilè poſt longam praxim quiſque per ſe didicit; nempe in hujuſmodi magnis ſpontaneis hæmorrhagiis videri ſanguinem propter inductam fermentationem, ſuâ mole, ut ita dicam, fieri majorem, darique quandam veluti aëris particularum immiſſionem, vel converſionem in ſanguinem. Uſqueadeo ſuperſtes intrà vaſa cruoris moles ſufficit tum continvandæ ingenti evacuationi, tum implendis, elevandiſque arteriis, quæ adhuc magnæ, duræque poſt ejectas multas rubri liquidi menſuras mirabiliter

*In ſpontaneis hæmorrhagiis mirabilis eſt novi ſanguinis reproductio.*

perſiſtunt. Exinde fit, ut immatura ſuppreſſio plerunque pariat convulſionem, quam ſola per artem inſtituta ſolvit ſanguinis miſſio, ut oſtendemus cap. XXIII. num. XIV. hujus libri.

XIII. Sed, ut ad id, unde digreſſa eſt, noſtra revertatur oratio, poſſunt pariter animales ſpiritus deficere, cùm eorum excurſus per nervos ad præcordia, aliaſque maximi uſus partes, penitus intercluditur vi convulſionis, compreſſionis, vel obſtructionis, è ſolo corporis vitio, aut ſimul animi motibus pendentium. Atque hinc Carol.[a] Piſo plures collegit obſervationes funeſtiſſimarum, ac ſubitanearum ſyncopum, quas ex cordis apoplexiâ, ſeu ex obſtructo per lympham nervo, qui ad cor deſcendit, natas arbitratur.

[a] De colluvie ſeros. pag. 166.

XIV. Poſſunt quoque deeſſe ſpiritus ob inediam, ob motuum violentiam, ob nimias evacuationes, ob intemperantem veneris uſum, præſertim in ſenibus, quos ſatìs jam ætas ſpiritibus deſtituerat. Quod genus exempla invenientur abunde apud Authores, quibus hîc repetendis fruſtra non immoramur.

XV.

Digitized by Google

XV. Secundò nimia etiam eorundem copia, quæ ſemper ſanguinis ubertatem comitatur, nimiâ preſſurâ, & inflatione glandularum corticalium cerebri, nervorum vias ita poteſt aliquando comprimere, ut fluxuro animali liquido omne ſpatium adimatur, fiatque propterea, ut vel in cerebro ſpiritus non ſeparentur, vel à cerebro (infirmatis villis extrudentibus, & auctâ reſiſtentiâ extrudendi liquidi) in præcordia non dimittantur; quod interdum contingit in ebrioſis, aliiſque, qui cibis, & potibus, plurimo ſale, ac ſulphure narcotico refertis, ſeſe ingurgitant.

*Spirituum nimia copia ſubitaneę mortis cauſa.*

XVI. Tertiò ſumma ſpirituum acrimonia ex eodem ſanguinis vitio, atque ex lentis animi pathematibus, ſtudiiſque intenſioribus inducta, convellendo pertinaciter præcordia, & cerebrum, homines, alioquin valetudinarios, ad idem repentinæ mortis genus poteſt adducere; ut olim in Ampliſſimo Card. vidimus, & paſſim in exitialibus epilepſiis, quæ dicto citiùs in fortes deſinunt apoplexias, de quibus agit etiam [a] Hippocrates.

*Ipſorum acrimonia æquè noxia.*

*Epilepſię tranſitus in apoplexiam ex Hipp.*

[a] Lib. de gland. n. 9.

XVII.

*Qua ratione hujuſmodi tranſitus fiat.*

XVII. Sed quoniam ætiologiam epilepſiarum, quæ in apoplexias, mortemque deſinunt improviſam, hîc ſcitu ſummopere neceſſariam putamus; idcirco attentè conſiderandum, convulſionem membranarum, ac ſinuum, nec non fibrillarum cerebri, in qua penè tota ratio idiopathicæ epilepſiæ poſita eſt, multifariam, ſed duplici potiſſimùm modo, contingere; altero ſcilicet, cùm acre, ac ferè arſenicale, vel aliud quodvis liquidum, convellendis nervis idoneum, non omnia ſimul cerebri ſegmenta, ſed eadem ſucceſſivo quodam, atque inæquali ordine, ac tempore irritat, & criſpat; unde nonniſi inæquales, inordinati, atque inæqualiter contingentes convulſivi artuum, ac thoracis motus, per totum ferè paroxyſmum, reſpondent, ac obſervantur: Quod ſanè quotidianum, ac vulgare hujus morbi exemplum ſe prodit. Altero verò modo, cùm eodem penè tempore, æqualibuſque viribus irritans cauſa, quaquaverſum per cerebrum diffuſa, æqualiter, eodemque tempore anteriores cum poſterioribus partibus, dextras cum ſiniſtris, immo fortè etiam ipſum

ſum

Digitized by Google

ſum cerebellum, adeò vehementer convellit, ut indè animale liquidum ſimul, & æqualiter in omnes contranitentes muſculos validè expreſſum, poſt breviſſimas artuum contorſiones, univerſum corpus tenſum, rigidum, atque immobile reddat. Hæc autem poſterior epilepſiæ differentia, ea præſertim exiſtit, quæ ſi ſæpe recurrat, ac plùs juſto perſeveret, frequenter in apoplexiam tranſiens, ſubitum vitæ diſcrimen ſolet afferre: quia ſcilicet, non ſolùm vaſa cerebri, ſi à lentâ priùs ægritudine fuerint debilitata, & in varices dilatata, ex illo forti, & univerſali nixu convulſionis, ac ſtrangulationis, ſanguinem prementis, atque intercipientis, & renixu ejuſdem contenti ſanguinis, mole, & acie ſuâ extrorſum urgentis, ſæpe diſſiliunt, ſed, vel maximè, quia idem ſanguis, propter inæqualem ſuarum partium indolem, uno in loco volatilis–oleoſi ſpiritus expers, viſcidulus ex morâ concreſcit; alio autem fluxilior, & acrior, ſuos extra limites, per glandularum orificia, nervorumque tubulos exprimitur: propterea, quanquam ipſa denique convulſio deficiat,

ciat,

Digitized by Google

ciat, attamen, perturbatâ jam ſpirituum materie, & in alienam naturam converſâ, jiſdemque cerebri, nervorumque viis, quà dilatatis, ac diſciſſis, quà compreſſis, & obſtructis; fortiſſima inducitur apoplexia, quæ plerunque ſubitam mortem accerſit.

XVIII. Tandem ignotum illud virus, quod in aere, ac ſanguine ſuperiùs notavimus, poteſt in ipſos animales ſpiritus derivari, eundemque lethalem, ac repentinum effectum producere; ut in peſte, & venenis infuſis, vel ingenitis frequenter offendimus.

---

*De cauſis ſubitaneæ mortis ex parte ſolidorum majoris uſus, & primò ex parte inſtrumentorum reſpirationi famulantium.*

## CAPUT IX.

FLuidorum vitiis jam explicatis, ad ea ſolidorum mala progredimur, quæ ſunt mortalis hujus exitus principia; illud iterum, iterumque monentes, quòd utriuſque ordi-

dinis cauſæ mutuam ſibi opem, ad ſubitum inferendum interitum, neceſſariò præbent; ut proinde non invenias vitium ſolidorum, repentè aptum occidere, quod motui ſaltèm liquidorum non officiat; & viciſſim fluidorum vitium lethale abſque ſolidorum læſione.

*Solida, & liquida mutuo concurſu mortem inferunt improviſam.*

II. Sed ad mortiferas cauſas, ex ipſis ſolidis ortas, propiùs acceſſuris illud etiam accuratè advertendum, ſolida majoris uſus duabus conditionibus naturaliter inſtructa eſſe oportere, ut ad vitæ conſervationem conſpirent; nimirum ut ſint integra, ſeu organicâ naturali ſtructurâ donentur; deinde, ut in alterno conſtrictionis, ac diſtenſionis motu perpetuò verſentur. Quidquid propterea ſtructuram, vel motum prædictarum partium maximè, ocyſſimè, & pertinaciter lædet, mortem quoque celerrimam, quam ſubitam dicunt, poterit inferre.

*Ex parte ſolidorum majoris uſus quomodo ſubita mors.*

III. Sequentes itaque præfatam initio ſolidorum diſtinctionem, aſſerimus primò, ex parte inſtrumentorum, reſpirationi inſervientium, animalia repentè poſſe interire, ſi aſpera arteria, ejuſque bronchia obſtructa, convulſa, vel com-

*Varia tracheæ, & bronchiorum mala repentè interficiunt.*

preſſa, citiſſimè, ac penitus iter aeri per pulmones intercludant, ut in laqueo ſuſpenſis paſſim animadvertitur, vel in jis, quibus ſolidum corpus, inter deglutiendum, laryngis foramen occludat, vel pus, ruptâ vomicâ, vel aqua in demerſis, per bronchia loco aeris diffuſa, non revomantur; vel ſanguis, aut ſerum in repentino pectoris hydrope pulmones, quominus ab aere impleri poſſint, ſubitò impediat. Tanta enim eſt hominibus ſpiritus neceſſitas; ut ad rem ſcripſit [a] Hippocrates; *ut ſi quidem omnibus aliis abſtineat homo, neque cibum ſumat, neque potum, poſſit tamen plures dies ducere; Si cui verò ſpiritus in corpus intercipiatur, vel exiguâ diei parte pereundum ſit.*

[a] Lib. de flat. n. 6.

IV. Deinde, ſi omnia ſimul inſpirationis, atque expirationis inſtrumenta ſuis ab officiis citò, ac pertinaciter vacaverint, ob eundem impeditum aeri alternum intrà pulmones ingreſſum, atque egreſſum, illico extremi fati dies eſt in procinctu; ob quam ſanè rationem ſervus ille barbarus apud [b] Galenum, coacto ſpontè ſpiritu, citam ſibi mortem conſciviſſe, fertur: cujus profectò volunta-

*Spiritus ſpontè cohibitus mortis cauſa apud Galenum.*

[b] 2. de mot. muſcul. cap. 6.

ta-

*Hujus effectus cauſa exponuntur.*

tarii, ſi verus eſt, effectûs, multæ etiam morboſæ, ex neceſſitate operantes, numerantur cauſæ, quæ ſcilicet aptæ ſunt diaphragmatis, ſterni, coſtarumque ſtructuram, continvitatem, vel motum ita firmiter lædere, ut alternè ſupra pulmones concidere, vel à pulmonibus recedere nequeant. Ita magna e. g. vulnera, quæ utrumque thoracis latus, ſeptumque ſimul tranſverſum confodiunt, ſi aperta detinerentur, celerrimam mortem poſſent accerſere. Aer enim, per dehiſcentia vulnera ingrediens, & forinſecus pulmones premens, æquilibraretur cum aere, qui per tracheam intrà pulmones labitur, ipſoſque pulmones, veluti quandam immobilem ſtateram, cum totius circulantis ſanguinis morâ, vitæque pernicie, ſuſpenderet, ac libraret. Et ſic de quacunque aliâ conſimili prædictorum læſione organorum, reſpirationi famulantium, paralyſi nempe, aut convulſione (dummodo ſubita, magna, ac pertinax fuerit) erit ſentiendum.

*Quænam thoracis vulnera, externum cum interno pulmonum aerem æquilibrando, lethalia.*



Digitized by Google

*De cauſis improviſarum mortium ex parte cordis, & magnorum vaſorum.*

## CAPUT X.

PRoximè dicendum venit de cordis, magnorumque ſanguiferorum vitiis, homines celerrimè interimentibus; & quanquam omnia, quotquot dari poſſunt, ad id unicè colliment, ut cordis motum penitus tollant, & lethiferam ſyncopem inducant; nihilominus tamen, cùm ad vitæ neceſſitatem, ex parte cordis, tria conſiderari debeant; primò congrua ſtructura tam cordis, quàm magnorum vaſorum; ſecundò viarum libertas; tertiò vis movens, quam facultatem pulſivam dicunt; certè ex unoquoque fonte maximi oriri poſſunt morbi, qui confeſtim perimant.

*Tria, ex parte cordis, & vaſorum ad vitã neceſſaria.*

II. Primò, quod attinet ad ſtructuram, cùm ad eam conſtituendam integritas, & continvitas fibrarum, villorum, & membranarum potiſsimùm exigatur; quotieſcunque aut inflicto vulnere, aut lentâ exeſione in aneuryſmatibus, eò tan-

Digitized by Google

tandem pervenitur, ut continvitas parietum cordis, & magnorum ſanguiferorum auferatur, illico, proſiliente uberrimè ſanguine, mors urget; ut hiſtoriâ V. eorum, qui hâc temporum conſtitutione repentè interierunt, publico patuit in theatro.

*Aucta magnitudo cordis repētinæ mortis occaſio.*

III. Cùm verò ad ſtructuræ vitium referri quoque poſſit ſolito major cordis moles, naturâ primùm contexta, deinde per morbos adaucta; hæc ſanè frequenter ſubitæ morti præbet occaſionem. Sanguis enim, ſi progreſſu temporis acer, minùſque fluxilis evadat, ſenſim, propter ſuam in præcordiis moram, magnitudini cordis novum pondus adjungit, quod tandem cor ipſum versùs diaphragma detrudit, & uſque adeò renititur ei potentiæ, ex qua cor tenditur, & ſanguis quaquaverſum in arterias pellitur (verbo, unde animal vivit) ut non ſolùm cum eâdem potentiâ ad æqualitatem perveniat, ſed illam plerunque repentè, atque inopinatò vincat. Quod porrò genus interitus ſæpe à nobis viſum eſt; cujus proinde clarum exemplum (præter ea, quæ reiicimus in libros, quos

nunc

Digitized by Google

nunc de Corde, atque Aneuryſmatibus adornamus ) dabitur ſequenti libro hiſt. II. illorum, qui ſubitò è vivorum numero exturbati fuerunt.

*Cordis vaſorumque convulſio, compreſſio, & obſtructio, mortis cauſæ.*

IV. Quod verò ſpectat ad viarum libertatem; quæcunque cauſa venam cavam, vel pulmonicam, & aortam, aut arterias carotides eouſque conſtantiſſimè, atque integrè poteſt convellere, comprimere, vel obſtruere, ut ſanguis ad auriculas, & ventriculos pervenire, aut ab auriculis, & ventriculis in majores arteriarum ramos, atque in cerebrum fluere prohibeatur, ſubitum minitari poteſt interitum; ut de magnis ſanguiferorum polypis, ac de tumoribus, vel oſſibus, majora vaſa comprimentibus, vel obſtruentibus, memorant Obſervatores.

*Vis movens cor, à fluidorū defectu, & vitio lethaliter labefactatur.*

V. Denique, quia vis movens cor, non ſolùm pendet à congruâ fibrarum ſtructurâ, ſed etiam à fluidis nerveo, & ſanguineo, idcirco labefactari poteſt, ut hominem celerrimè interficiat, ſi utrumque liquidorum contumaciter deficiat (unde ſyncope ex cordis, & arteriarum paralyſi) aut quodvis aliud lethale vi-

tium

Digitized by Google

*Oris ventriculi, & cordis morſus à vermibus.*

tium contrahat: quod ſanè accidit non in peſte ſolùm, ſed ubi os ventriculi, vel ipſum etiam cor à vermibus mordetur, ut proinde [a] Trallianus, [b] Meſue, & [c] Schenchius referant, aliquos ex hujuſmodi cauſis repentè deceſsiſſe. Vermes enim cujuſdam ſpeciei proboſcidem veneno armant, ut, non erodendo dumtaxat, ſed veneficum fortè liquidum ſanguini, ac fluido animali penitus hoſtile, vulneribus inſpergendo, interimere ſoleant. Quod ſanè adeò ex antedictis per ſe clarum eſt, ut ſummatim indicaſſe ſatìs fore, duxerimus.

[a] Lib. 7. c. 11.
[b] De ægrit. cord. cap 1.
[c] Lib. 2. obſ. 194.

*Cur lethalis.*

*Syſtole, & diaſtole cordis &c. utraque ad vitam neceſſaria.*

VI. Hoc verò ſolummodo memorandum hìc arbitramur: cordis, magnorumque vaſorum motum dividi in ſyſtolem, ac diaſtolem; & licèt alter dumtaxat ex jis motibus ſit agens, uterque tamen ad vitam eſt neceſſarius: idcirco fieri poteſt, ut æger repentè moriatur, tum ſi cor alternè conſtringi non poſsit (quod vel enervatâ penitus ſtructurâ, vel prædictorum maximo vitio liquidorum, ſolet contingere) tum ſi alternè dilatari nequeat, quod vel pertinaci ejuſdem ſpaſmo, vel ex cauſis illud validiſsimè com-

Digitized by Google

comprimentibus, tumore nempe ejuſdemmet cordis, pericardii, aut adjacentium partium, facilè oriretur. Sic olim vidimus, inflicto vehementer pugno ſub cartilagine mucronatâ, vitæ nodum ex tempore ſolutum; nimirum quòd eò loci unà conveniunt, validèque per nerveam, ac tendineam cohæſionem junguntur ſiniſtrum ventriculi orificium, diaphragmatis centrum, arteria magna, vena cava, & pericardium; excitatâ idcirco repentè, ob fortem percuſsionis vim, prædictarum ſimul omnium partium convulſione, ſubitò pariter, apud imbecillem alioqui hominem, cum reſpiratio, tum ſanguinis motus lethaliter potuit ſubſiſtere. Sic [a] Raſis affirmat, repentinas mortes ex cordis apoſtematibus evenire. Quamobrem *& cordis dolor*, ut in coacis ſcripſit [b] Hippocrates, *ſeniori ſæpiùs conſveſcens, repentinam mortem ſignificat*. Præcordiorum enim convulſio, ſi pertinax fuerit, atque per id temporis ſanguis, qui intercurrere deberet, neceſſariam fluxilitatem, & craſim amitteret (ut de cerebri convulſionibus diximus) etiamſi poſtea ſpaſmus ille ceſſaret, non ideo

*Ex inflicto ſub xiphoide pugno, ob mirabilem partium cohæſionem ſubita mors.*

[a] Lib. 7. cont. cap. 1.

[b] Lib. 3. ſect. 2. n. 17.

Vide latiùs tractatam de cordis dolore materiem c. XIX. n. 2.

ideo tamen cruor ſublatæ reſiſtentiæ obſecundaret, curſumque ſuum repeteret; idcirco ſubitam necem facillimè induceret. Interim verò indicatas alibi cauſas omnino veneficas, ex ventriculo, vel alio quovis viſcere derivatas, conſultò tacemus.

VII. Sed, cùm ſtudium detegendæ veritatis nihil nos vel præterire, vel diſſimulare patiatur, advertendum, iſtiuſmodi veneficos ſuccos, motum cordis ſubitò enervantes, intrà noſtra corpora cumulari, non vitio dumtaxat fermentorum, animi pathematum, aliarumque etiam cauſarum, à cibis, potibus, atque aere deductarum; ſed interdum (ut reticeam quæ palam venena dicuntur) culpâ *arcanorum*, ut jactant, remediorum, per quæ ignavum vulgus magnos morbos profligatum iri confidit. Quanquam enim in unaquaque Civitate, juſtiſſimis conſtitutâ legibus, pſeudo-chymici, & agyrtæ, ne medicinam faciant, ſemper vetentur, & tamen ſemper retineantur; ſanè accidit non rarò, ut aliquis, ſive lue venereâ, ſive hypochondriorum ægritudine vexatus, poſtquam rectam meden-



Digitized by Google

di viam, ob mali contumaciam, vel ſuos ob errores, prorſus inutilem expertus eſt, jis tandem agyrtis, celerem ſalutem perfrictâ fronte pollicentibus, facilè credat. At, cùm miſer homo, antimoniale, mercuriale, aliudve hujus farinæ medicamentum acceperit, proprio (utinam pœnitentiâ delendo) diſcit experimento, ſe non ad ſalutem, ſed ad necem pſeudo-medicis uſum fuiſſe. Etenim hujuſmodi remedia, ſi malè parata fuerint, veneni naturam induunt; ſi verò extra doſim, aut ſinè methodo valetudinariis corporibus propinentur, variâ ſubindè cum pravis hypochondriorum ſuccis-initâ miſcellâ, & fœdere, in toxicum convertuntur, & hominem repentè plerunque perimunt. Quod ſanè ubique locorum, ſed in Romanâ maximè Civitate, uſu venire, dolendum, in quâ multos proindè vidimus, ſumptis, per aliquot dies, hujuſmodi *arcanis*, tandem ſtomachi, ac præcordiorum doloribus correptos, citiſſimè ſublatos fuiſſe. Unde [a] Brunonianis vocibus exclamare compellimur. *O deplorandam Magiſtratuum lenitatem, quâ impunè de corio hu-*

*Mors ex Agyrtarum arcanis.*

[a] In lex. Med. verb. agyrt.

*humano ludere conceſſum, quà datur ita temerè ſævire in humana viſcera! O inexcuſabilem diſſimulationem!*

---

*De cauſis improviſarum mortium ex parte cerebri, & nervorum.*

## CAPUT XI.

QUanquam ex antedictis de vitio ſanguinis, & liquidi nervorum, abunde colligi poſſit, quales cauſæ ex parte cerebri, & nervorum, ad ſubitum producendum interitum, concurrant; ne tamen hæc noſtra elucubratio alicubi manca videatur, præcipuo capite perſtringimus eas cauſas, quæ cerebri, tanquam ſolidæ partis, culpâ, homines citiſſimè de medio tollere poſſunt.

II. Cùm verò, ut ſuperiùs de corde monuimus, tria quoque in cerebro, ſuiſque membranis, ac nervis, ad vitam ſummopere neceſſaria, conſiderari debeant; ſcilicet primò congrua ſtructura; ſecundò viarum libertas; tertiò motus

*Tria in cerebro, meningibus, & nervis ad vitam neceſſaria; & qualia.*



Digitized by Google

alternus membranarum, & corticis ejuſdem; ſanè ex maximâ, conſtantique prædictorum læſione, citiſſima mors, ſub ſpecie fortis apoplexiæ, poteſt accidere; mutuò ſcilicet inter ſe conſpirantibus prædictis vitiis; ita ut maxima ſtructuræ læſio alternum motum, vaſorumque libertatem tollat; quemadmodum ceſſatio motus ſupponit, vel infert impedimentum viarum; denique maximum viarum impedimentum ſtatim naturalem cerebro motum aufert, & aliquale ſtructuræ vitium inducit.

III. Primò itaque, ſi capitis, ac cerebri ſtructuram ſpectemus, quotieſcunque eadem ob magnum, profundumque vulnus, vel contritionem ita vitietur, ut indè tollatur membranarum motus, viarum, & fluidorum continvitas, ad ſpirituum præſertim animalium, uſque in præcordia, deſcenſum, illico animal corruit, ac moritur.

*Spirituum deſceſſus ad præcordia inbibitus rep. mortis cauſa.*

IV. Præterea non ràrò contigit, ut aliquis ebrietate, aut vertigine à ſummo ruat, caputque ad durum corpus allidat; unde, rupto intrà cranium vaſe, citò decedat. Mors verò iſta frequenter ab

Digitized by Google

ab imperitis internæ dumtaxat cauſæ, turpiter adſcribi ſolet, cùm fuerit externa: Quo fit, ut hac in re cautos velim tam ipſos Medicos, qui propriam aliquando ſententiam pro uſu forenſi interponere debent, quàm Judices, punituros eos, qui, etiamſi levi impulſu dejecerint ebrium, vel quemcumque alium, ſi hic ſtatim de vitâ abjerit, illatæ mortis fiunt rei.

*Repentina mors quandoque falsò adſcribitur internæ cauſæ, cùm pendeat ab externâ.*

V. Facilè verò, diſſecto cadavere, cognoſcitur, num quis ex ipſo caſu, vel ex internâ causâ diem ſuum objerit. Etenim, ſi ruptura oſſis, atque interni ſub illo vaſis invenitur, non eſt dubium, quin ictus, vel contuſio præcocis mortis cauſa ſit accuſanda. Exemplum dabit ſequens hiſtoria.

*Ex diſſecto cadavere diſtinguitur.*

VI. Auriga Eminentiſs. Card. Pallavicini ann. 35. propter luem celticam, vinum, quod appellant, medicatum longo jam tempore ſumebat. Cùm die 26. Decembr. 1707. ſuum Herum in atrio prope Sacellum Pontificium expectaret, fortè tum ut ſe debilem reficeret, tum ut prorogandi tempus prandii hilariter falleret, duos generoſi vini cyathos cum

*Exemplum.*

frag-

fragmento panis ingurgitavit. Poſt hæc, fluxo jam meridie, repentè de ſellâ immoti currus dextrorſum cecidit. Rumor, cui timor initium dedit, credulitas incrementum, ſtatim per Ædes Vaticanas diſpergitur, hominem ſubitâ morte ſublatum. Accurritur, & cùm inventus fuerit aphonus, ſed adhuc reſpirans, ad proximum S. Spiritus Xenodochium illico transducitur, ubi multa adhibita remedia prohibere non potuerunt, quin totis ſtertens præcordiis citiſſimè animam egerit.

VII. Congruo tranſacto tempore, Præclariſs. D. D. de Paulis, unus ex primariis ejuſdem Xenodochii Medicus, cui miſeri hominis cura contigit, juſſit, illius cadaver aperiri, quod vel ipſe ego admodum flagitavi, ut falſæ opinioni, quæ Urbem impleverat, hunc ex internâ dumtaxat causâ fuiſſe denatum, occurrerem. Viſum itaque eſt cranium contuſum in dextero temporum cum rimâ duarum circiter unciarum; deinde apparuit intrà cranium, & ponè duram matrem eo loci ſanguis effuſus, & quaquaverſum diffuſus, totuſque in contineñ-

*Cadaveris diſſectio.*

Digitized by Google

nentem grumum coactus pondere non minùs unciarum octo. Cæterùm dexterum cerebri hemiſphærium citra ſenſibilem defectum, ſiniſtrum verò cum vaſorum plenitudine, ſectumque, ſubobſcuro refertum colore, deprehenſum eſt. Ventriculi pauco ſero ſcatebant.

VIII. Hæc porrò, quæ per cerebri diſſectionem innotuerunt, probabili dant locum conjecturæ, cauſam ruinæ adeò præcipitis dextrorſum, in homine iſto, ſubitam extitiſſe cruoris moram in ſiniſtro cerebri hemiſphærio, ubi vaſa turgida inventa ſunt. Debilitatâ enim dexterâ corporis medietate, in quam communi, firmiorique Anatomicorum opinione diſtribui creduntur nervi, qui à ſiniſtro cortice proficiſcuntur, minimo negocio deficere eo in latere æquilibritas trunci, & versùs illud caſus totius corporis contingere potuit. Sed tunc mortem veroſimiliter miſerrimus auriga vitaſſet, niſi magnam illam interni vaſis rupturam paſſus fuiſſet. Atque hinc diſcamus, quàm facilè repentinorum morborum cauſæ manus invicem conferunt, ut ocyſſimè occidant. *Ætiologia.*

IX.

Digitized by Google

*Magna capitis læſio, & parva interdùm æquè lethifera.*

IX. Neque ſolùm ex magnâ cranii, cerebrique dedolatione, aut contritione, quæ contentis partibus motum, & vaſis continvitatem auferat, homines brevì moriuntur; ſed interdum ex levibus quantumvis creditis capitis contuſionibus, & concuſſionibus, ob occultam vaſorum rupturam, cùm ægri maximè convalviſſe videntur, tunc ſubitò pereunt, rigore correpti. Ichor enim, aut ſanies intrà membranarum, aut cerebri cuniculos colligi ſolet, acerrimamque, & planè veneficam, ex morâ indolem nanciſci, ob quam univerſa cerebri, ac nervorum œconomia ſubvertitur; nimirum, criſpatis, aut ſyderatis nervis, & ruptis quandoque ſanguiferis, vitale illud commercium cerebri cum corde, & cordis cum cerebro è veſtigio intercipitur. Ita [a] Magnenus narrat, nonnullos ſternutantes, agitato violenter capite, diſruptiſque eo impetu meningum vaſis, ſubitò interiiſſe. Quod ſanè à [b] Famiano Strada exemplo Piſtoris Suburrani confirmatur, qui, cùm ter, ac vicies ſternuiſſet, vigeſimo quarto ſternutamento animam efflavit. Quâ de causâ, nem-

[a] Exerc. 8 de Tabac.

*Quomodo ex ſternutatione, mors ſubita.*

[b] Lib. 3. prælect. 4. cui titul. cur ſternuentes ſalutentur.

*Ex Famiano Strada exemplum.*

nempe ob vitæ periculum, eveniſſe putat [a] Sigonius, (quanquam à Famiano redargutus) ut, conſveto jam diù more, ſalutem ſternuentibus à Deo precemur; ſcilicet quòd multi tempore D. Gregorii Magni, cùm ſternutarent, repentè ſpiritum emittebant. Repete, ſi cupis, quæ à nobis ſcripta ſunt cap. VIII.

[a] Lib. 1. de regn Ital.

*Mos precandi ſalutem ſternuentibus unde.*

*Lentæ in cerebro congeſtiones tandem repentè jugulãt.*

X. Ab internis quoque cauſis lentæ in cerebro congeſtiones fieri ſolent, quæ poſtquam diù ægros, nunc hemicraniâ, & ſopore, nunc mœrore, vertigine, & epilepſiâ, juxta varium preſſionis momentum, variamve interceptorum ſuccorum indolem, divexarunt; denique, fortiſſimâ inductâ apoplexiâ, repentè jugulant.

*Hiſtoriâ mirabili confirmatur.*

XI. Novimus Equitem Commendatarium ex Familiâ de Puteo, qui floridioribus annis hemicraniæ, atque hæmorrhoidibus obnoxius, poſt quinquageſimum ætatis ſuæ annum incertis animi motibus, mœrore præſertim, exagitari cœpit, & paulatim ferè ad triennium ſuppreſſis identidem mariſcis, jugi gravativo circa tempus ſiniſtrum dolore infixo, varias vices ex medentium auxiliis

expertus fuit. Verùm, cùm ex Lauretanâ Domo rediret ( præcedente graviore ſincipitis dolore, ad ſiniſtrum oculum protenſo, unà cum animi luctu ) Fulginei repentè in levem apoplexiam incidit, facie ſubpallidâ, tumentibus palpebris, reſpiratione liberâ, niſi illam ſicca tuſſis frequenter interturbaſſet, quibus febricula per aliquot dies acceſſit; à quo ſanè paroxyſmo, propter opportunam opem eidem præſtitam à Clariſſimo Phyſico Nuccarino, antiquæ probitatis Viro, eoque nomine mihi conjunctiſſimo, vindicatus fuit. Romam deinde repetens, occurrit nobis cum ſiccâ tuſſi, meticuloſior, taciturnus, obliviosſus; quinimo decurſu autumni, & hyemis 1694. recurrentibus ſemel, vel bis in unoquoque menſe apoplecticis inſultibus, infelicem planè vitam duxit. Tandem die 26. Januarii 1695. cùm ſibi meliùs habere videretur, fortiſſimâ correptus ſyderatione, ſubitò interiit. In cujus cadavere præcipuum fuit obſervare in poſteriori hepatis parte, quâ diaphragmati adnectitur, tumorem folliculatum, æruginosâ veluti argillâ plenum. Unde ſeptum

ptum tranſverſum eo loci ſubrufam coloris labem contraxerat; atque indè ſiccam tuſſim, quâ æger tenebatur, profectam exiſtimavimus. In cerebro autem omnia piæ matris ſanguifera, ac lymphatica vaſa penè in varices abjerant. In ventriculis copioſa ſeroſitas continebatur. Sed malorum ſumma latebat ſub dexterâ parte oſſis frontis; ubi dura, & pia mater in multam craſſitiem evaſerant, & finitimus cerebri cortex concreverat in crudum abſceſſum ſubſtantiæ ferè polypeæ, & magnitudinis æqualis illi pomo, quod apium redolens appellatur. Interim profundior cerebri cortex, ejuſque medullæ pars, quæ tumori ſubſternebatur, adeò diffluebat, ut puris craſim æmularetur.

*Tuſſis ſicca ex diaphragmatis labe ab hepate contractâ.*

*Lymphatica piæ matris varicoſa.*

*Ingens abſceſſus polypeus meningum, & corticis cerebri.*

XII. Hoc ſanè extiſpicium non tantùm admirationem excitat, propter ipſam tumoris in cerebro collecti conditionem, quantùm propter ſitum; ut, cùm æger de gravativo ſincipitis, & oculi ſiniſtri dolore perpetuò quereretur, morbi cauſa in dextero meningum, cerebrique latere inventa fuerit. De cujus phænomeni ratione plura differemus in

*Doloris ſincipitis, & oculi ſiniſtri in oppoſitâ parte deliteſcẽs cauſa.*

ſcholio diſſectionis cadaveris Illuſtriſſimi Præſulis Spadæ.

XIII. Novimus item Eminentiſſimum Sacchettum noſtræ, ac Doctiſſimi juxta, atque Humaniſſimi Joh: Trulli curæ traditum, ſimili congeſtione laboraſſe, cujus brevem tum hiſtoriæ, tum extiſpicii deſcriptionem, à nobis exhibitam Diligentiſs.[a] Pacchiono (Juveni virtutis, & ingenii meritis mihi jucundiſſimo) huc congruè transferemus. Vir igitur Eminentiſsimus ſexagenario major, à ſuppreſsâ podagrâ melancholicus, immemor, atque epilepticus evaſerat; ſedulâ tamen curandi methodo, præſertim vini abſtinentiâ, hinc ſex ſupra annos vixerat. Tandem repentè ſublato, in ejus dexterâ corticali cerebri parte versùs occiput, inſignis hydatis, ovi columbini molem adæquans, inventa eſt, laxa, & lacera, quæ conſtrui videbatur ex ipsâmet piâ meninge, ſuis potiſsimùm dilatatis, ſciſsiſque lymphaticis, interceptoque liquido. Quod ſanè vel nudis occurrebat oculis ex fluido intus contento. Erat enim lympha partim ſubtilis, & flava, partim in craſſam veluti gelatinam

[a] Quam inſeruit ſuæ diſſertationi epiſt. de glād. & lymph. mening.

*Hydatis inſignis ſupra cerebrum.*

nam converſa. Ubi, quod mirabilius apparuit, id certè fuit, ut iſtius folliculi baſis, cortex nempe cerebri, ad talem reſiſtentem conſiſtentiam devenerit, quæ planè ſcirrhoſa videretur.

XIV. Ex his verò duobus exemplis ſatìs patet, obſtructis paulatim ſanguiferis, ac lymphaticis, poſſe in cerebro congeri tumores, intercipientes liquida, maximopere viſcoſa, ſimulque acria, vel quovis alio modo capiti, & nervis hoſtilia, quæ, ruptis tandem alicubi repagulis, per proxima vaſa diffluant, & quaquaverſum ſubitò diffuſa, tum animalium ſpirituum craſim penitus invertant, tum eorundem vias intercludant, & meningum, minimumque cerebri motum, unà cum vitâ, penitus tollant.

*Quid ex adductis hiſtoriis deducatur.*

XV. Secundò, quanquam de viarum libertate ſatìs dicat, qui de ſtructuræ vitio agit; adhuc tamen monendum cenſemus, aliquando, etiamſi vaſorum in cerebro ſtructura nuſquam appareat vitiata, fieri poſſe, ut celerrimè mors invadat, ratione ſolius repentinæ totalis preſsionis, & obſtructionis vaſorum inferentium, ac referentium, nec non mini-



Digitized by Google

*Obeſis repentina totalis vaſorum intrà cranium obſtructio, facilis.*

nimarum glandularum cerebri, ac cerebelli. Quod præſertim obeſis interdum accidere, videmus, in quibus ob celerrimam ſanguinis ſtagnationem non modò ſubita vaſorum obſtructio, ſed ſubita quoque paralyſis membranarum, ſinuum, totiuſque cerebri corticis proficiſcitur, cujus exemplum dabimus hiſt. 1. illorum, qui hoc anno repentè interierunt, de quibus etiam habitus eſt ſermo ſuperiùs cap. VII.

XVI. Citiſſima quoque mors apud obeſos, præſertim ſenes, poteſt contingere propter uſum aquarum mineralium, quarum ob copiam cerebri vaſa ita gravari ſolent, ut langueſcente periſtaltico ipſorum motu, & dilutâ nimis, enervatâque contenti ſpiritus energiâ, ſanguis confeſtim ſubſiſtat; indèque ſerum ſubterfugiens lymphatica diffringat. Neque ſanè nobis deſunt hujuſce miſerandi exitus exempla, quippe qui præ aliis vidimus Nobilem Rom. in primo ſenio conſtitutum, & ſubpinguis habitus, hauſtâ de more aquâ Villenſi, eodem die repentè ſublatum.

*Mors repentina in Sene poſt hauſtam aquã Villenſem.*

XVII. Facit pariter ad viarum interce-

ceptionem quidquid nervos, qui ad præcordia, & ad meninges feruntur, ita comprimere poteſt, ut animalium ſpirituum ad eas partes curſum penitus intercludat. Ita mulierem, quam aphonia, & brachii paralyſis diù detinuerat, repentè mortuam, aperuimus, in qua nihil conſpicuum inventum fuit, præter ſcirrhoſam glandulam, quæ ſub cerebello, ad internum principium ſpinalis medullæ, prædictos nervos validiſſimè compreſſerat. Quid non etiam jidem nervi extra cranium obſtructi, aut compreſſi, poſt aliquas præcordiorum paſſiones illatas; repentinam mortem inferre valent, quamvis nulla ſenſibilis cauſa in ipſis cadaveribus poſtmodum inveniatur? Conſtat enim per Diligentiſſimum[a] Valſalvam, cordis nervos ad jugulum canis arctè conſtrictos, & illico ſolutos, adeò in ſtructurâ inſenſibili labefactari, ut canis intrà aliquot dies, eodem modo, ac ſi nervi illi amputati eſſent, indè moriatur, licèt jidem rurſum inſpecti, in ſe nullum ſenſibilis læſionis veſtigium oſtendant. Quod ſanè multò faciliùs poteſt contingere, ſi ſanguis, per cor devol-

*Nervorum ad præcordia, & meninges tendentium compreſſio mortifera.*

[a] De auris part. uſu c. 5.

*Nobile Valſalvæ experimentum.*

ven-

Digitized by Google

vendus, ob minorem, quàm par eſt, fluxilitatem, ac volatilitatem, motui renitatur, quod hiſce in caſibus plerunque contingit.

*Meningum, & cerebri motus multipliciter ablatus.*

XVIII. Poſtremò membranarum, & cerebri motus, ut de corde diximus, tolli poteſt vel ob recens inductum ſtructuræ vitium, quod ex magnis vulneribus, magnâve oſſis depreſſione accidit; vel ob repentinam meningum, totiuſque nervoſi generis paralyſim, quæ ex narcoticis, aliiſque cerebrum afficientibus venenis oritur; vel ſi prehendat fortis, & pertinax convulſio, quæ, omnia cerebri vaſa ſtrangulando, curſum ſanguinis, lymphæ, ac ſpirituum illico, & pertinaciter intercipiat; ut contingit in mortiferis epilepſiis, ac potiſsimùm in magnis, ac ſubitis animi pathematibus, de quibus egimus cap. VII. quæque in ipſo ſtatim cerebro vires ſuas lethaliter interdum exercent. Etenim, cùm hujuſmodi animorum affectiones, per externos ſenſus à cerebro ſuſcipiantur, ſi viſcus hoc naturâ, morbo, vel ætate languidulum, ſimulque fluidum, acie, ac mole intrà cerebri vaſa redundans, inveniatur; facilè, pro-

*Animi paſſiones cur lethales.*

propter ſubitam vaſorum omnium ſtrangulationem, epilepticam apoplexiam inducunt, hominemque ex tempore tollunt. Cujus profectò rei evidens ante plures annos habuimus experimentum in Optimate quodam ſene, ac valetudinario, qui, dum tranquillè alioquin cœnaret, improvisò accipiens nuncium de adventu, ſibi neque grato, neque honorifico, conſanguinei ſui, repentinâ ſyderatione ſublatus eſt. In hujus verò diſſecti cadaveris cerebro vaſa undique tumida ex intercepto, propter ſubitum animi pathema, ſanguinis, lymphæque curſu, indèque cavitates tum ſulcorum, tum ventriculorum uſque ad ſpinalem medullam exundante ſero repletæ occurrerunt.

*Exemplo res illuſtratur.*

XIX. Ad eundem poſtremò cenſum ſpaſmodicarum paſſionum cerebri, & nervorum ſplanchnicorum referri poſſunt dolores immanes, qui ex artuum, ſphacelo correptorum, amputatione oriuntur, ſi eâ, quâ nondum mortui ſunt, parte (præſertim ſi debiles fuerint) reſecentur; de quibus apud [a] Hipp. ſcriptum legimus, *Magnum periculum eſt, ne*

*Artuum ſphacelatorum amputationes interdum ſubitæ mortis cauſa ex Hip.*

[a] Lib. de art. n. 8.

K *præ*

*præ dolore in animi deliquium incidant. Talia verò animi deliquia multos jam è veſtigio peremerunt.*

XX. Pauca hæc de ſubitanearum mortium cauſis attuliſſe ſatìs duximus, ne liber in magnum volumen evaderet. Neque ego has ſolas eſſe contenderem; quinimo hortor ad quærendum, & alias inveniri poſſe, fateor, quæ tamen non multùm ab jis abhorrebunt. Interim qui ad curioſitatem explendam, longiorem exemplorum ſeriem petierit, penum habebit paratam, inter Veteres quidem, in unâ Dominici Tirilli Tractatione de cauſis repentinæ mortis, qui ſanè Author fuit cum rebus Philoſophicis, tum Medicis (ut temporibus illis) ſatìs eruditus; inter noſtros verò, in Miſcellaneis Naturæ Curioſorum Germaniæ, in Boneti Sepulchreto, & Medicinâ Septentrionali, aliiſque Compilatorum libris, qui Priſcorum, Recentiorumque obſervationes brevi, & concinnâ methodo ad nos traduxerunt.

*Tirillus inter Priſcos egit de mortibus repentinis.*

*Su-*

Digitized by Google

*Subitanei morbi hactenus expoſiti ad tria capita rediguntur, ad Suffocationem, ad Syncopem, atque ad Apoplexiam, quæ & ſimul plerunque concurrunt.*

## CAPUT XII.

UT conſulamus jis, quos facilè tædet multitudinis idearum, quæ veniunt concipiendæ, ad intelligendas poſſibiles ſubitanearum mortium cauſas, earundemque operandi modos; opportunum cenſemus hoc loco tribus tantùm malorum ſpeciebus univerſam hanc, penèque immenſam rem ſolerter complecti, quæ quidem ſpecies ſub genere morbi attoniti, & ſenſuum, reſpirationis, pulſuſque officia plùs, minùſve tollentis comprehenduntur. Cùm enim repentinæ mortes ex certis tantummodo repentinis morbis oriantur, horum ſanè interimere potentes ſunt

*Sub genere morbi attoniti tota res iſta comprehenditur.*

II. Primò quidem morbi omnes, qui, ex aeris vitiis, aut læſionibus inſtrumentorum, reſpirationi inſervientium, producti, confeſtim interficiunt; id ſanè faciunt,



Digitized by Google

ciunt, quia vitam alterno aeris, & illius, quod in aere natat, corporis pabulo defraudant, ac proindè ad præcipitem ſuffocationem, aut præfocationem tutò referri debent.

*Aer ſanguinem fœcūdat.*

III. Cùm verò aer, reciprocâ inſpirationis, atque expirationis lege, ſanguinem obſcuro, ac penè ignoto movente fœcundet, eundemque clarâ nobis pulſione per venam pulmonicam versùs lævum cordis ventriculum urgeat; idcirco, prohibitâ reſpiratione, ſtatim univerſa ſiſtitur circulatio, indèque cor, & cerebrum, propriis motibus deſtituta, neceſſariò in ſyncopem, atque apoplexiam incurrunt.

*Prohibitâ reſpiratione, quomodo cor, & cerebrum lædantur.*

*Corde &c. affecto (in iis ſcil. qui ſubitò moriuntur) cur cerebri, & pulmonum motus ſiſtantur.*

IV. Secundò morbi omnes, ex ſanguinis, aut cordis, magnorumque ſanguiferorum vitio exorti, ſi ægros ex tempore interimant, id moliuntur, quia alternum cordi motum celeriter auferunt, ac propterea ſyncopem inducunt, ex quâ facilè eſt concipere, quomodo cum cerebri, tum pulmonum motus continuò ſiſtatur, ſeu quomodo apoplexia, & ſuffocatio ex neceſſitate ſuccedant.

V. Poſtremò maxima illa ſpirituum ani-

Digitized by Google

animalium, & cerebri mala, quæ ſubitam necem accerſire poſſe, probavimus, non aliò tendunt, quàm ut motum, ac ſenſum internis viſceribus, externiſque organis, & artubus non illico ſolùm, ſed omnino tollant, ſeu fortiſſimas apoplexias inducant. At verò, poſitis hujuſmodi apoplexiis, è veſtigio motus cordis, atque pulmonum extinguitur, ac proinde ſyncope, & ſuffocatio neceſſariò ſuboriuntur.

*Cerebro læſo, idem cordi, & pulmonibus accidit.*

VI. Sed non ipſa ſolùm infelix prædictorum trium ſucceſſio malorum; quin lethifera etiam eorundem complicatio utplurimum, tanquam ſubitarum mortium cauſa, uno, eodemque tempore concurrit, tunc præcipuè, cùm ab interno, fluidoque principio iidem morbi dependent. Non enim humoralis cauſa, quæ, cùm movetur, e. g. potens eſt in cerebro inducere convulſionem, aut paralyſim eorum nervorum, qui ad viſcera majoris uſus feruntur, hominem ſubitò interimeret, niſi per eadem viſcera cum ſanguine diffuſa, in corde ſyncopem, in pulmonibus præfocationem, in cerebro apoplexiam eodem ferè momento tem-

po-

Digitized by Google

poris plerunque machinaretur . Hoc ſanè præcipuè apparebit ex jis, quæ in Obſervationibus trademus . Magna ſiquidem vitia fluidorum ſtatim cum ſolidis partibus communicantur, & viciſſim ſolida, magnopere labefactata, fluidas partes diù incolumes ſupereſſe, non ſinunt . Unde ſcitè, prudenterque ajebat [a] Hippocrates, *Conſenſus unus, conſpiratio una, conſentientia omnia* . Quod certè non pro ſervandâ ſolùm, ſed pro deſtruendâ animalium œconomiâ intelligendum eſſe, putamus.

*Magna liquidorum vitia ſolidis exitialia, & contra.*

[a] De alim. n. 4.

---

*Recenſitæ cauſæ ſubitanearum mortium invincibiles, aut vincibiles exiſtunt.*

## CAPUT XIII.

QUemadmodum ſæpe factum eſt, ut morbi, qui ad ſuffocationem, ad ſyncopem, vel ad apoplexiam referuntur, hominem inopinatò occiderint; ita non dubitamus, quin aliquis ſuffocatus, aut præfocatus, ſyncope graviſſimâ, vel fortiſſimâ apople-

*Præfocati &c. ad vitam naturaliter quãdoq; reſtituuntur.*

Digitized by Google

plexiâ correptus ; etiamſi pro mortuo habeatur, ac prædicetur; ad vitæ tamen officia, naturali interdum viâ, redire poſſit. Quare inter morbos, inopinatam, ſubitamque mortem inducere potentes, alii penitus invincibiles, alii verò vel ipſo negligentiæ, ac temporis beneficio, vel medicamentorum ope vincibiles ſint, oportet.

*Subitæ mortis cauſæ non omnes invincibiles.*

II. Invincibiles, hoc eſt omnino inſuperabiles, ac verè, ſubitòque interimentes, ſunt omnes morbi, qui ex inſigni aliquo intrà præcordia, cerebrum, vel abdomen ſanguifero vaſe, ſpontè, aut violenter diſrupto, originem habuerunt, quique ex diſciſsâ quomodolibet in jugulo, vel in artubus arteriâ, per quam univerſus ſanguis jam effluxerit, dependent.

*Invincibiles quæ.*

III. Invincibiles quoque ſunt, qui ex ablatâ continvatione cerebri cum nervis, præſertim cùm ſciſſio nervorum jungitur vulneri, ac diſciſſioni arteriarum, & viſcerum. Unde inter genera mortium expeditiſsimum æquè, ac certiſsimum illud eſt, à quo nemo unquam evaſit, capitis nimirum, vel trunci diſſectio; niſi per



Digitized by Google

ſi per luſum excipere velimus illum, quem lepidiſsimus inter Hetruſcos Poetas fabulatur, medium enſe acutiſsimo diffiſſum, morte nondum cognitâ, quippe partibus adhuc hærentibus, arma tractare non deſtitiſſe.

a Bern. in ſuo Poemat. ital. Orlãd. innam. lib. 2. cant. 24. ottav. 60.

[a] *Così colui del colpo non accorto*
*Andava combattendo, & era morto.*

*Fortis ſenum apoplexia invincibilis.*

IV. Inter ſubitaneos morbos, qui itidem ſunt invincibiles, numeratur quoque fortis apoplexia; quæ decrepitis accidit ob concurſum duarum ſimul cauſarum, hebetudinem ſcilicet ſolidorum ad circumpellendum, ac defectum partium oleoſo-volatilium, quæ ipſa ſolida, fluidaque mobilia reddunt.

*Syncope pariter, quæ ab eroſione, &c. inducitur.*

V. Simile de illâ ſyncope judicium ferendum erit, quæ ab inductis paulatim eroſione, polypo, tuberculo, lapide, & conſimilibus, in corde, ejuſque vaſis, motum ſanguinis inhibentibus, proficiſcitur; de quibus aliqua etiam dicemus cap. XIX.

*In genere, quinam morbi inſuperabiles.*

VI. Denique paucis concludendo, cauſæ inſuperabiles repentinæ mortis intrà vi-

Digitized by Google

vires naturæ, vel artis, ſunt omnes ji morbi, qui valent inducere integrum defectum ſanguinis, vel tollere continvitatem cerebri cum nervis, aut cordis, & inſignium ſanguiferorum cum cerebro, aliiſque magni uſus viſceribus, aut aliæ hujus generis maximæ affectiones, quas ſigillatim piget enarrare.

VII. Vincibiles verò appellamus improviſarum mortium cauſas, quæ, etiamſi plerunque viæ ſint ad interitum, aliquando tamen, vel extra humanam ſpem, ipsâ curantium audaciâ, ſed non planè temeritate, imò ipſius (quod frequentiùs accidit) intromoventis naturæ energiâ, mirabiliter fugantur. Ad hujuſmodi autem morbos ji præcipuè referuntur, qui à ſimplici, celeriterque factâ obſtructione, preſſione, aut convulſione inſtrumentorum, motui aeris, ſanguinis, ac liquidi animalis inſervientium, dependent. Ita correptos apoplexiâ ex ſolo infarctu vaſorum, ut Timocratem in Helide, apud [a] Hippocratem, interdum ſimplex curavit inedia, cujus beneficio, obſtructo cerebro, non ſolùm nihil additur; imò verò per validiorem in-

*Vincibiles à medentiũ audaciâ, & naturæ vi, quinam.*

*Apoplexia per inediam curata apud Hipp.*

[a] v. epid. hiſt. 2.

*Rei ratio aſſignatur.*

 du-

Digitized by Google

ductam ſanguinis ſubtiliationem, & motum, aliquid perpetuò detrahitur. Ita hyſtericas, & præfocatas, mortuis quantumvis adſcriptas, per ipſam, quæ necem intuliſſe viſa eſt, paroxyſmi diuturnitatem, aliquando revixiſſe, comperimus; ſcilicet uſurâ temporis (cùm cætera ſana ſunt) ſubtiliſſimum illud miaſma, quod, intrà nervorum texturam interceptum, enormiter convellebat, ſenſim oleoſis halitibus lævigatum, ſubtiliatum, ac circumpulſum, effluit, liberumque reddit corpus, quod mortali tenſione riguerat. Unde prudens Medicus rarò tam abjectam de iſtiuſmodi improvisò mortuis habere debet ſpem, ut ſit omnino deſperatiſſimus: nimirum boni Medici erit (dummodo internorum vaſorum rupturæ, aut contumaciſſimæ obſtructiones, preſsiones, aliæque prorſus invincibiles viſcerum, nervorumque affectiones abſuerint) ſubitò fateri, quàm maximus timor, quàm minima ſit ſpes, ut omnem abſque famæ ſuæ detrimento movere lapidem, ægrumque, ſi adhuc vivit, ab orci faucibus poſsit eripere. Ita enim homo fit homini Deus, ut pulchrè ad-

*Hyſtericarum paroxyſmi cur ſolâ temporis uſurâ quandoque ſuperĕtur.*

*Medici ſpes bis in caſibus qualis.*

advertit[a] Tiraquellus, cùm Medicus morti proximos, ac veluti adjudicatos, atque etiam quoſdam, qui mortui putabantur, reddidit ſanitati.

[a] De Nobil. cap. 31. n. 434. & 597.

---

*De ſignis improviſæ mortis, & primò de ſimulatis, ac ſuppoſitis, ſeu ſupplantatis mortibus.*

## CAPUT XIV.

QUoniam hactenus, quales improviſarum ſint cauſę mortium, oſtendimus, exemplaque ex parte cum fluidorum, tum ſolidorum, de quibus dicere oportebat, ſubjecimus; jam hinc, quibus ſignis non tam præſens, quàm imminens, ac futurus inopinatus interitus ſit cognoſcendus, breviter inquiramus.

II. Principiò itaque non ſum ignarus, vaferrimos inveniri homines, qui, ut faciliùs ex commeritis evadant ſuppliciis, macerato priùs per inediam corpore, eique inducto per ſulphuris halitum ſquallore, injectis itidem validis ad brachia

vinculis, tandemque blando epoto narcotico, aut ſpontè parumper coactâ reſpiratione, ſubitò mortuos ſe fingunt; quod ut expeditiùs patrent, cuſtodem, amicum, vel ſervum, quò ex pacto, & conventu rem agant, ſibi adſciſcunt. Sed

*Fictorum mortuorũ calliditas detegitur.*

iſtos, planè irridendos, ac pejori deinceps pœnâ mulctandos, promptum eſt deprehendere, ſi eorundem denudata, atque excuſſa corpora, flagris, ferro, igneque, ſi opus eſt, tractentur. Arterias enim, ſolutis vinculis, rurſus in carpis micare; & reſpirationem, violenter coactam, in libertatem redire, ſentiemus. Quod Judicum causâ monendum duximus, ut ſint poſthac, adversùs hujuſmodi fallacias, cautiores.

III. Deinde improbi ſcelerum machinatores proprios ſæpe hoſtes, vel alios, lucri causâ, quantumvis planè innoxios, veneno, ſtrangulatione, vel exili intrà præcordia vulnere perimunt; & mox ad veram necis cauſam occultandam, eoſdem in flumen, aut puteum demergunt, vel per ſcalam præcipites agunt; quò nimirum ſpontè, vel caſu mortui palam judicentur. Nunc, ſi quis particularia ſigna

gna ad has, vel illas effictas, aut veras ſubitaneas neces detegendas, pro relationibus, præſertim in fori uſum, ſedulus, atque curioſus exoptet; adeat [a] Fortunat. Fidel., & Quæſtiones med. legal. Pauli Zacchiæ. Nos enim hîc cauſas, & ſigna potiſſimùm naturalium affectionum quærimus, non forenſes conjecturas.

[a] Lib. 4. de relat. medicorum per totum.

---

*Exponitur difficultas inveniendi certa ſigna, quibus dignoſcantur qui naturâ, non arte pſeudo-mortui occurrunt.*

## CAPUT XV.

ILla utique nec præterire volumus, nec debemus, quibus non hominum docemur calliditatem, ſed vitia, dixerim, an ſvetos naturæ motus, quæ ſinit aliquando, ut ji, qui nondum mortui ſunt, pro talibus habeantur.

II. Profectò non ex aliorum dumtaxat hiſtoriis nobis innotuit, multos, qui deceſſiſſe credebantur, vel prope ſepulchra evigilaſſe; ſed noſtro etiam experimento id ipſum comprobatum recordamur

mur in Viro nobili, adhuc vivente, qui viginti ante annos, cùm ei juſta perſolverentur in Templo, ad motuum, ſenſuumque munia, omnium cum terrore magìs, quàm admiratione, redivit. Meritò idcirco exclamat [a] Fabius – *Unde putatis inventos tardos funerum apparatus? Unde, quòd exequias planctibus, ploratu, magnoque ſemper inquietamus ululatu? quàm quòd vidimus frequenter poſt conclamata ſuprema redeuntes* –. Prudenter igitur lege vetitum eſt quoſcunque mortuos, & eos præſertim, qui repentè deceſſerunt, ſtatim ſepelire.

[a] Declamat. 8.

III. Horret meminiſſe, [b] Veſalium, neglectæ olim Anatomes parentem, ad mulierem hyſtericam, quæ mortua credebatur, diſſecandam accerſitum, eò negligentiâ ſuâ fuiſſe perductum, ut vix alteram novaculæ impreſſionem adegerit, cùm illa motu, & clamore ſe vivam oſtendit, quæ ſanè res Virum odioſum, ac deteſtabilem reddidit; idcirco nil prius ſibi eſſe duxit, quàm ſe fugâ ſubtrahere. Sed ne ſic quidem inteſtinum terrorem, ac carnificem, quo judice, nemo nocens abſolvitur, fugere potuit; mæſtitiâ enim

[b] Ex Paræo lib 23. cap 46. *Turpis Veſalii calamitas.*

con-

Digitized by Google

confectus, non multò poſt, magno rei & publicæ, & medicæ detrimento, interiit.

IV. Difficultas autem noſcendi illos, qui, etiamſi mortui nondum ſint, mortui tamen apparent, exindè oritur, quòd motus alternus aeris, ſanguinis, & ſucci nervorum per organa majoris uſus (in quo ſanè motu omnem vitæ rationem conſiſtere, dictum eſt) noſtros aliquando ſenſus prope fugit, ut ferè ſoli naturæ innoteſcat. Viciſſitudo namque motionis pectoris, docente potiſſimùm [a] Galeno, tam minima eſſe poteſt, ut, dum coſtæ, ad ſternum pertingentes, non moventur, ſed ſolum diaphragmatis centrum tantiſper trepidat, inermes oculos plerunque fallat. Sanguis itidem (integris cæteroquin exiſtentibus vaſis, proprioque oleoſo-volatili ſale fluens) ob ſolam contractionem ſummarum venarum, & auricularum, nudamque cordis, quaſi dixerim, jectigationem, tacitè interdum per ventriculos urgeri, & per arterias, ut paſsim per venas, adeò leniter devolvi poteſt, ut vitalis hic motus pulſum in ſolis carpis exploranti penitus abſcondatur. Idem planè de nervorum liqui-

*Cur pſeudo-mortui difficulter à mortuis diſtinguantur.*

[a] 8. De adminiſtr. anat. & 4. de loc. affect.

*Illorum thoracis, & diaphragmatis motus, qualis.*

*Cordis motus, quinam.*

*Pulſum cur habeāt tactui imperceptibilem.*

*Eorum liquidi nervei motus.*

Digitized by Google

liquido ſentiendum, quod, cùm fluidiſſimum ſuâpte naturâ ſit, exiguis adeò undis per nervos præcordiorum nonnunquam agitari poteſt, ut reliquum illud minimum animalis vitæ igniculum, ferè nobis ignotum, conſervet. Ut enim non omnia incorporea mentibus, ita nec ſemper ſenſibus omnia corporea manifeſtò patent.

*Menti, & ſenſibus non omnia innoteſcunt.*

V. Hoc ſanè docent apertiſſimè animantia illa, quæ per totam hyemem ſenſu, motu, cæteriſque vitæ indiciis deſtituta eſſe videntur, cùm tamen profundo ſomno ſepulta lateant; ac propterea tantillum præcordiorum, ſanguinis, ac ſpirituum animalium motum ſuperſtitem conſervent, qui certè motus ſi planè extinguatur, jam actum eſt de illorum vita. Exindè fit, ut poſt aſperiores hyemes inſecta, ac præſertim muſcæ, magnâ ex parte, jis omnino ſufflaminatis motionibus, pereant. Meritò idcirco ſcripſit [a] Paul. Zacch., nullum, quod aliquando non fefellerit, præſentis mortis ſignum inveniri, præter cadaveris livorem, æſtuationem, ac fœtorem.

*Quomodo inſecta decurſu hyemis ſinè apparenti motu vivant.*

[a] Quæſt. med. legal. præſertim conſ. 79. n. 21

*Inter ſigna mortis certiſſima cadaveris fœtor, ex Zacchia.*

VI. Sed quanquam qui de pſeudomor-

mortuis judicare debet , obſcuram provinciam ſuſcipere cogatur , & quotidianum, ac frequentiſsimum ſit, creditum vulgo mortuum, re ipsâ deceſsiſſe; nihilominus tamen nonnulla indicia ſpeculari operæ pretium erit, quibus eos diſcernamus, qui ſyncope, aut fortiſsimâ apoplexiâ detenti, occubuiſſe videntur.

---

*De ſignis, quibus pſeudo-mortui à verè mortuis diſtingui poſſunt.*

## CAPUT XVI.

HOc ante omnia maximè advertendum cenſemus, non ſemper Artis defectui, ſed artificum, atque aſsidentium incuriæ plerunque adſcribi debuiſſe, quòd ægri, nondum verè mortui, derelicti fuerint, ac veſpillonibus traditi, idque potiſſimùm peſtis tempore. Rogo itaque nedum Medicos, ſed etiam pios illos Religioſos, qui Romæ, atque alibi, ex inſtituto, animam agentibus adſiſtunt, ut ſequentibus indiciis diligenter utantur. *Authoris monitum.*



Digitized by Google

*Mortuus à pſeudo-mortuo diſtinguitur primò ex prægreſſis cauſis.*

II. Porrò, ut Medicus faciliùs judicet, an reverà quis vitâ functus fuerit, omnium primò necis cauſas exploret; quæ ſi extiterint invincibiles, de quibus egimus cap. XIII., liberè decernat, ægrum jam è vivis exemptum fuiſſe, cùm vocem, reſpirationem, ac pulſum, brevi etiamſi tempore, amiſerit. Quòd ſi contra cauſæ occurrant per ſe vincibiles, tunc acriori ſenſuum, rationiſque criterio ſibi opus erit.

*Secundò à ſepulto reſpirationis, & cordis motu.*

III. Et quoniam abſque voce, uſuque internorum, externorumque ſenſuum, ac motuum, à voluntate pendentium, vitam aliquandiu protrahere poſſumus; ſinè ſepultâ tamen, atque exili ſaltèm reſpiratione, cordiſque trepidatione non poſſumus; hinc jure optimo Scriptores, daturi notas, quibus viventem à mortuo diſtinguamus, in ſuperioribus hiſce duobus maximè verſantur: quidquid in contrarium ſcribat Paul. [a] Zacch. qui exemplum adducit cujuſdam, quem graſſante peſte, dum veſpillones, ut mortuum, ad deſtinatum locum aſportabant, vitæ ſigna dediſſe, viderunt. Etenim quis ignorat, peſtis tempore omnem rem non-

[a] Loco cit. n. 5.

Digitized by Google

nonniſi tumultuariè peragi; ac proindè leve dumtaxat ſtudium, ad ſecernendum veros à pſeudo-mortuis, adhiberi.

IV. Reſpirationem itaque ſepultam, atque inconſpicuam tentabimus primò ſternutatoriis acribus, ac vehementibus, quibus maximè fidentes invenio [a] Hollerium, & [b] Fort. Fidelem. Secundò ipſius [c] Galeni conſilio, paleam, tenuemque lanam ægri naribus ſuſpendendo. Si namque vivit homo, viciſſitudine motus aeris, quantumvis lentiſſimi, lana movebitur. Quod profectò experimentum memorat [d] D. Gregor. olim ſuſceptum fuiſſe in Præsbytero Urſino, cui, ſolutis membris, atque in morte diſtento, cùm Præsbytera ſua, ſi quid vitale ſpiramen ineſſet, naribus appoſitâ curaſſet arte dignoſcere (magno certè ad honeſtatem tuendam argumento) ſenſit, ſe ab ægro, collectâ voce, vehementer objurgari: *diſcede à me mulier; adbuc igniculus vivit; paleam tolle*. Tertiò, alii cereum, exiguumque lumen ori, ac naribus moribundi applicant, cujus flamma ſi à recto ſurſum tramite deflectat, ac tremula fiat, homo etiamnum vivit. Quartò, abſter-

*Reſpiratio ſepulta quomodo excitanda.*

[a] Primo de morb. inter. cap. 58.
[b] De relat. med. l. 4 c. 1.
[c] Tertio de diff. reſp. cap. 10.

*Lana ægri naribus admovenda.*

[d] Dial. lib. 4. c. 11.



Digitized by Google

ſum ſpeculum ori apponunt, quod ſi paulò poſt maculis fœdetur, de vitâ ſpes eſt. Quo ſanè ſpeculo feliciter uſus fuit [a] Albertinus Botton. ad explorandas vitæ reliquias in muliere Patavinâ, quæ, hyſterico ſtrangulatu correpta, adſtantium omnium conſenſu, mortua exiſtimabatur.

[a] Lib. 1. de morb. mul. c. 45.

*Cyathus ſupra xiphoidē cartilaginem locandus.*

V. Tandem, cùm ad ipſius motum diaphragmatis, quantumvis minimum, efficiendum, coſtas ſpurias, quibus illud alligatur, moveri aliquo modo, neceſſe ſit; jure à Practicis proponitur, ut, ſupino firmiter locato ægro, cyathus aquâ plenus ad ima pectoris, ſupra cartilaginem enſiformem ad perpendiculum ponatur. Tunc ſi cyathus, contentumque fluidum vel minimùm dimoveantur, in vivis eſt; ſi ſecùs, jam mortuus æger.

*Motus etiam non vitales aliquando in mortuis.*

VI. At enim verò hujuſmodi ſuperſtitis reſpirationis indicia non obiter, atque oſcitanter, ſed conſultò, ac repetito periculo adamuſſim ſunt expendenda, ut prudentes de vitâ, vel morte ægri, nunquam pœnitendum, judicium adhibeamus; Contingit enim aliquando, ut certus motus tum abdominis, tum pecto-

cto-

Digitized by Google

ctoris, etiam apud vitâ functos, excitari poſſit à naturali ſolidarum partium concidentiâ, vel à præternaturali contentorum fluidorum fermentatione, flatuumque præſertim elatere: quibus forſitan factum eſt, ut minùs in arte periti, vitam cadaveribus attribuentes, non ſolùm falſi, atquì certè ridiculi interdum evaſerint. Sed hæc omnia non tantùm præceptis, quantùm uſu, ac diligentiâ docentur.

VII. Deindè ad lenem motum deprehendendum ſummarum venarum, auricularum, & cordis in pſeudo-mortuis, longè majori afficimur difficultate, quàm ſit ea, in quâ verſatur quiſquis notas exilis, ac ſepultæ reſpirationis inquirit. Etenim thoracis machina, & circumfuſus aër, qui alternè per tracheam in animalibus ducitur, reduciturque, noſtris certè ſenſibus propinquiora ſunt ipſo corde, eidemque appenſis arteriis, quæ, nonniſi tenuatæ, ad extrema corporis pertingunt. Accedit ad rei momentum conſvetudo explorandi pulſum in ſolis carpis; exindè namque fit, ut, deficiente arteriarum ictu priùs in carpis, quàm in

cor-

Digitized by Google

corde, aut in aortâ, majoribuſque illius ramis, ſæpe nonnulli de omnimodâ ceſſatione motus cordis judicium ferant, cùm primùm in carpis pulſum deſiderari, cognoverint. Quâ de re, ubi locus erit dubitationi, tunc motum cordis, & arteriarum non tantummodo in artubus quæremus, ſed, inclinato languentis corpore in ſiniſtrum latus, calidam manum regioni cordis admovebimus, exquiſituri, an motus aliquis in corde ſuperſit. Deinde validâ etiam digitorum preſſione tentabimus arterias carotides, quæ, cùm diametro majores ſint jis, quæ ad manus ſparguntur, nec obliquè, & per angulum in axillis, ſed rectà ferantur ab arcu arteriæ magnæ versùs caput, gradum impetus ſanguinis, etiamſi tenuiſſimum, à corde acceptum, faciliùs excipere, & explorantibus oſtendere poſſunt. Interim verò ſuperſtites apud præcordia vitæ ſcintillulæ omni arte, admotis quà intrà, quà extra corpus cardiacis volatilibus, ac ſvaveolentibus, fovendæ, atque excitandæ erunt, ut in arteriarum pulſibus clariùs erumpant.

*Cordis motus in pſeudomortuis quot modis ſit perquirendus.*

*Carotides arteriæ ad ſuperſtitem pulſum explorandum cur aptiores.*

VIII. Enimverò, quemadmodum caven-

vendum nobis eſt, ne occultò viventem, propter imperitiam explorandæ reliquæ illius, quantumvis tenuiſſimæ, arteriarum pulſationis, inter mortuos reponamus; ita diligenter providendum, ne, vanâ opinione inventi pulſus, artem noſtram in contemptum adducamus. Siquidem exemplum habemus cujuſdam, quem prudens reticeo, qui, cùm uni ex ſummis Romanæ Aulæ Proceribus, repentè mortuo, & à nobis jam derelicto, adſiſteret, totâ ſtrepente domo, nobiſque ſtoliditatem illius mirantibus, Procerem etiamnum vivere, contendebat. Cùmque nos credulitatis ſuæ cauſam ſciſcitaremur, pro ſigno adduxit ſuperſtitem adhuc pulſum. Neque ſentiebat homo excors, pulſum, quem mortuo attribuebat, ſenſum eſſe arteriarum propriorum digitorum (erat enim fervidâ fluidorum craſi donatus) quibus cùm arctiſſimè premeret cadaveris carpum, cæteroquin excarnem, & aridum, refluxum liberum ad venas proprii ſanguinis impediebat, ideoque, ſuis arteriis validiùs ad extrema pulſantibus, ſibi, & domeſticis errorem hunc ineptiſſimè objecerat.

*Quæ vitanda, ne quis pulſum mortuo perperam attribuat.*

IX.

IX. Porrò, ut redeamus ad penſum, nullus ſapiens, ſeduluſque Medicus curam negliget animalium ſpirituum, ac nervorum, ſaltèm ſplanchnicorum, mediis clamoribus in aures, ſtimulis ad magìs ſenſiles partes, odoramentis, & acribus volatilibus ori, ac naribus adhibitis, aliiſque, quorum ſylvam nemo Practicorum non novit, & de quibus plura dicemus in ſecundo libro, ubi de medicamentis, quæ hoc anno jis maximè profuiſſe viſa ſunt, qui, ſubitaneis morbis tentati, feliciter evaſerunt.

*Sopitas nervorum motiones excitantia.*

---

*De ſignis medicis, quibus repentina mors prænoſci poteſt.*

## CAPUT XVII.

NON utilis modò, ſed maximè neceſſaria Medicis videtur ſcientia præcognitionis repentinarum mortium, cùm noſtræ [a] Præceptor Artis clarè oſtendat, eum non ſolùm culpâ vacaturum, verùm etiam boni Medici nomen, atque ad-

[a] Hipp. in veſtib. lib. progn.

admirationem conſecuturum, qui, cùm omnes ſanos facere non poſſit, futura ſaltèm præſentiat, atque prædicat. Hanc itaque ſpartam ornaturi, illud in primis cavendum ducimus, ne quis tanti putet notas, quas ſubnectimus, ut eas vel omnino certas, &, ut ajunt, pathognomonicas credat, vel ſinè delectu, ac ſingillatim accipiat. Si quod enim in univerſâ Medicinâ difficile, arduumque negocium, hoc procul dubio in ferendis futurorum judiciis locatum eſt. Multa ſiquidem variis anni tempeſtatibus, ægrorum continentiâ, vel incontinentiâ, lætis, aut triſtibus animi pathematibus mutantur in melius, aut in deterius; ut proindè etiam ad rem Medicam pertinere, putaverim, quod in Juris doctrinâ paſſim uſurpatur, nempe vel totam eſſe prudentiam, vel ſinè prudentiâ exerceri non poſſe. Atque hinc [a] Hippocrates *voluit Medicum tum in cæterâ Arte, tum in prædictionibus conſultiſſimè ſe gerentem, ac probè intelligentem; eum, qui prædictionis ſucceſſum conſecutus ſit, apud prudentem ægrum admirationi fore; qui verò deerraverit, præterquamquod odio gravabitur,*

*Summa prudĕtia in Arte medica eſt neceſſaria.*

[a] Lib. 2. prædic. n. 3.



Digitized by Google

*tur, cum ne inſaniæ quidem ſuſpicionem effugere poſſe.*

II. Ut igitur Medicus, præſagiturus inopinatas mortes, in ipsâmet conjecturali arte verax, ac prope ſecurus evadat, primò multis aliorum, & propriis obſervationibus diligenter ſtudeat; deinde ex totâ ſignorum meſſe manipulos quaſi colligat, & ad ſuas quoſque claſſes reducat, ut poſtmodum, cùm occaſio poſtulat, maturè, ac ſtudiosè recogitando, & cogitata cum rebus conferendo, cautus, ac prudens pronunciet.

*Prudentia quomodo acquirenda.*

III. Nemo autem interea in ſpem erigatur, dari ſigna, quibus omne genus improviſæ mortis præſentiri, ac prænunciari poſſit. Etenim quæ ab internis, ſed cæcis, nullaque indicia producentibus, principiis veniunt, ut, inter alia, ſepultæ in ventribus, venarum varices exiſtunt, eæ quidem Medicis rarò innoteſcunt. Illæ dumtaxat nobis aliquatenus patuerint, quæ fluunt à morboſis, & ſenſibilibus diſpoſitionibus partium cum ſolidarum, tum fluidarum majoris uſus, à quibus ut, munus ritè ſuum peragentibus, vita, & ſalus, ita, deerrantibus, morbi paulatim

*Internæ varices cognitu difficiles.*

Digitized by Google

tim inducuntur, primo quidem aſpectu leviores, ſed qui tandem acervatim erumpendo, inopinatò ſolent interficere.

IV. De ſingulis ſuo tempore, nunc dicimus de univerſis; unum poſtremò ſummæ neceſſitatis huic loco adjicientes, ſcilicet non quemcunque ægrum, cui ſubitaneæ mortis periculum imminet, de eodem eſſe commonefaciendum. Etenim omnes quidem homines, etſi ſeverioris virtutis, animi tamen affectionibus ſunt obnoxii, eiſdemque aliquatenus perturbantur; aſt ji maximè, qui vehementer timidi, atque imbecilles exiſtunt, quos ipſamet mortis opinio aut in mortem, aut in mortis diſcrimen adducit. Hinc rectè [a] Galenus, aliter cum ſapientibus, aliter cum timidis, & ſtultis agendum eſſe, conſuluit; & [b] Hippocrates multò priùs ſcriptum reliquit, pleraque futurorum ægroto occultanda eſſe. Sed interdum fit, ut, contrariâ penitus ratione, generoſis Viris ſubitaneæ mortis periculum ſit enunciandum; ut timore ad ea flectantur uſurpanda remedia, quæ aliàs nimis fidenter ſpernere conſveverunt.

*Cuilibet ægrotanti mortis periculum non eſt aperiendũ.*

[a] 6. epid. ſect. 2. comm. 43.

[b] De decent. ornat. n. 9.

N 2 V. Quo-

*Mors repentina quibus potiſſimùm accidat.*

V. Quoniam verò repentinæ mortes jis potiſsimùm ſolent accidere, qui morbos aliquos, vel propter ſymptomatum levitatem, vel propter aſſvetudinem, ſibi familiares redditos, facilè deſpiciunt, ſperantes, ſe aut ſolâ naturæ ope convalituros, aut nonniſi præviâ longi agonis admonitione fore deceſſuros; idcirco unumquodque futuræ mortis indicium, ex unoquoque genere hujuſmodi malorum erit depromendum.

*Ejus ſigna ex quibus fontibus haurienda.*

VI. Itaque eodem planè ordine, quo repentinæ mortis cauſas perſecuti fuimus, utemur etiam in examine ſignorum, quæ eaſdem neces nobis portendunt. Ratum enim, certumque apud Practicos illud eſt, omnia ſigna ex morbis, morborum cauſis, ac ſymptomatibus, tanquam ex fontibus, fluere. Diſtinguemus verò hujuſmodi notas primò in eas, quæ colliguntur ex læſis inſtrumentis reſpirationis, & aere; ſecundò in illas, quæ veniunt ex affecto corde, magnis vaſis, & contento ſanguine; tertiò in reliquas, quæ proficiſcuntur ex morbis cerebri, nervorum, atque liquidi eorundem.

Agi-

Digitized by Google

*Agitur de ſignis futuræ mortis repentinæ, petitis ex læſione inſtrumentorum, reſpirationi famulantium.*

## CAPUT XVIII.

INter notas, quibus repentè futurus indicatur interitus, non ultimum locum tenent illæ, quæ ex læſione pectoris,& pulmonum deducuntur.

*Diuturna tuſſis humida in ſiccam converſa, quando exitialis.*

II. Primò ſanè orthopnœa cum tuſſi apud Senes, ſi diù humida perſiſtens, ſtatim mutetur in ſiccam, morbo interim de ſuâ vi nihil remittente, improviſam necem, ut plurimum, præſagit: ſcilicet quòd lymphæ copia, quæ, ſuppreſsâ anacatharſi, in pulmone, jam languido, atque obſtructo, ſubſiſtit, facilè parit ſuffocationem, præſertim, ſi æger intemperantiùs, aut incontinentiùs vixerit.

*Suffocativa quomodo.*

Glandulas arytænoidęas primus Orbi Medico detexit Jo: Bapt. Morgagnius in ſuis Advert. Anat. num. 2.

III. Secundò tuſſis moleſta, & ſuffocativa ex acri latice, per glandulas arytænoidæas, tracheæ,& bronchiorum affatim ſecreto, ſi magno cum impetu identidem recurrat, mortem ſubitam portendit, præcipuè ſi æger vel ſenex, vel languidus, atque etiam in vitæ regimine

ne ſit aliquantò liberior: apoplexia namque pulmonum, quam ſuffocativum catarrhum dicunt, ab irritantium ſeroſitatum confluxu, & articulorum pulmonum convulſione, ut cum [a] Hippocrate loquamur, producitur. Quod ſanè mortis genus nos frequenter vidimus, & primùm quidem, ſupra viginti annos, in Carolo Petrazzino Aromatario ad Capitolii radices; is enim, cùm ſenex eſſet, atque hujuſmodi tuſſim ſperneret, mediâ tandem nocte, ut eidem prædictum fuit, ſuffocatus interiit. Simili planè modo Romanus Princeps, cùm podagrâ, atque hæmorrhoidibus vexatus, conſenuiſſet; ob animi tamen pathemata, vitæque intemperantiam multis ante menſibus neque podagræ, neque mariſcis ampliùs eſſet obnoxius; elapſo anno repentinâ pulmonum, aſperæ arteriæ, atque œſophagi convulſione correptus, brevì (ut prævisum) totius Urbis cum mœrore deceſſit.

[a] 2. De morb. n. 52.

*Interni pectoris dolores quinam lethales.*

IV. Tertiò interni pectoris dolores, qui modò ſpirandi difficultatem, præſertim per acclivia, modò cordis angorem, ſæpe pulſus inæqualitatem comites habent,

bent, quique non ſinunt, ægrum in utrumque latus æquali facilitate decumbere, & corporis gracilitatem inducunt, ex tempore ſolent interficere, præcipuè ſi ægri ſubeant violentos aliquos corporis motus, parumque laudabili cibo ſeſe ingurgitent. Gerunt enim ſepultum plerunque in altero pulmonum lobo tuberculum, vel aliam congeſtionem, aut venæ pulmonicæ dilatationem, quorum, propter repentinam rupturam, aut propter inductam quaquaverſum validiſſimam convulſionem, liber tranſitus per cor, & pulmones tam ſanguini, quàm aeri ocyſſimè tollitur. Quam certè moriendi viam non pauci injerunt ex jis, quos novimus; atque horum numero adſcribendus videtur Doctor Medicus Vinciguerra, qui elapſo anno, cùm diù levi anhelitu, ſepultiſque in pectore doloribus vexatus fuiſſet, tandem intempeſtâ nocte, domeſticis, ac Sacerdote vix accerſitis, è vivis ſublatus fuit. Vide quæ ſcripſit Experientiſſimus [a] P. Poterius de jis, qui illico moriuntur ob rupturam venæ pulmonicæ juxta ſiniſtrum cordis ventriculum; illi enim reſpirandi quâdam

*Ex jis, qualis morbus latens arguatur.*

[a] Cent. 3. obſ. cap. 22.

*Venæ pulmonicę rupturam quænam præcedant ex Poterio.*

dam difficultate, deambulantes, corripiuntur, &, ob præcipitem virium lapſum, propinquis tenentur niti adminiculis.

*Ex pulmonum vomicâ repent. mortis prædictio.*

V. Quartò magìs adhuc repentina mors prædici poteſt in conſimilibus caſibus, ſi id, quod in pulmone congeritur, fuerit de naturâ vomicæ, quæ potiſſimùm cognoſcitur ex ſiccâ tuſſi cum fœtore quaſi cadaverico, quem ægri, aerem educendo, identidem ſentiunt. Rumpitur enim incerto alicubi tempore, cùm eroſus, vel nimiùm diſtractus fuerit folliculus, & plerunque occiditur, dictum factum, homo, ut ſcripſit[a] Tulpius. At enim verò, ſi hujuſmodi morbus hominem corripiat, qui ſe in cibo, potuque contineat, noxiumque aerem præcaveat, tunc neque magnam in molem augetur, neque ſemper ex tempore diſſilit, aut, ſi diſſiliat, ſubitam necem afferre ſolet. Quinimo nonnullos ſuperſtites, atque ſanos, ut[b] Williſio contigit, nos etiam vidimus. Secus atque, ſi æger Baccho, & genio indulgeat, tunc Medicus, ratione contrariâ, ſecurius judicium de ſubitaneo interitu pronunciare poterit.

[a] Lib. 2. obſ. cap. 10.

*Quinam ſuperſtites.*

[b] De morb. pect. ſect. 1. cap. 11.

VI.

*Aſthma convulſivum aliquando mortiferum.*

VI. Quintò cùm ad motum thoracis tantopere nervi concurrant, fit aliquando, ut convulſiva aſthmata ad repentinam necem deducant ægros, qui, antiquato jam malo, putant, ſe miſerè vivere, ſi medicè vivant, morbumque propterea novo morbo cumulantes, externâ plerunque accedente causâ, repentè moriuntur.

*Ex anni tempeſtatibus, quæ ad ſubitam mortem ducant.*

VII. Tandem cùm in reſpirationis materiem veniat aer, & quidquid in aere latitat, non immeritò inter ſubitaneæ mortis ſigna reponendas eſſe, putaverim, particulares quaſdam tempeſtatum, aeriſque affectiones, quippe quæ multos, lentè cæteroquin ægrotantes, repentè ſolent occidere, & quidem non vi primarum tantùm, ut ajunt, qualitatum, ſed pulſu, & variâ mixturâ particularum, quæ miris modis noſtrarum partium officia variant, atque perturbant. Sagax itaque, & peritus Medicus utatur conſilio Hippocr., qui ſparſim docet, ex magnis temporum mutationibus mala præaffectis jam corporibus evenire. Sed clariùs de ſubitaneis mortibus loqui videtur [a] in libro de aere, aquis, & locis,

[a] num. 3.



Digitized by Google

locis, cujus ſanè integrum hìc textum, utpote plura docentem, tranſcribimus. — Locus Hipp. *Præcipuè verò maximæ anni temporum mutationes obſervandæ ſunt, ut neque medicamentum purgans jubenter exhibeamus, neque partes circa ventrem uramus, aut ſecemus, ante dies decem, aut etiam plures. Maximè tamen ſufficient decem. Ac maximi periculi plena ſunt ambo ſolſtitia, præcipuèque æſtivum. Periculoſiſſima etiam ambo æquinoctia exiſtimantur, maximè verò autumnale. Syderum quoque ortus obſervandi, præcipuèque caniculæ, deinde arcturi, & vergiliarum occaſus. His enim potiſſimùm diebus morbi judicationem ſubeunt, & alii quidem* perimunt, *alii verò deſinunt, aliique omnes in aliam formam, & ſtatum tranſeunt.* — Et reverà multos, ordinariò etiam rerum curſu, in æquinoctiis, & mediâ potiſſimùm æſtate, ſummâque hyeme, repentè mori, obſervamus.

VIII. Quâ de re Medicus, junctis cauſarum, & ſignorum ideis, non admodum difficulter, aliquem inopinatò moriturum, poterit divinare, ſi illum, fractis viribus, ex diuturno morbo partium majoris uſus, circa prædictas magnas

tem-

temporum mutationes, deteriùs affici, animadverterit. Neque profectò aliter judicet de jis, qui ſalubre cœlum mutant in peſtiferum, cùm potiſſimùm ipſi valetudine non admodum proſperâ freti fuerint. *Probi aeris in deleterium mutatio mortis cauſa.*

IX. Sed quoniam multa ſymptomata, quæ ad reſpirationem pertinere viderentur, radicem omnino morboſam habent in ipſo corde, eique appenſis vaſis; idcirco ſequenti capite, acturi de ſignis, deſumendis à corde, & ſanguiferis, perſtringemus nonnulla etiam indicia, quæ ſubitaneam mortem præſagiunt, læsâ etiam reſpiratione.

---

*De ſignis futuræ ſubitaneæ mortis à corde, magnis vaſis, & ſanguine.*

## CAPUT XIX.

UT latam hanc, confuſamque materiem certis capitibus diſtinguamus, placet hujuſmodi notas deducere primò ex pulſuum vitiis, ſecundò ex palpitatione, *Ex cordis &c. affectionibus, plura ſubitæ mortis prælu-dia.*



Digitized by Google

aut dolore cordis, tertiò ex animi deliquiis, quartò ex hæmorrhagiâ, atque aneuryſmate, quintò ex habitu plethorico, & obeſo, tandem ex quarundam ſuppreſſione evacuationum.

II. Illud verò ante omnia hîc advertimus, recenſitas paſſiones tam cordis, & magnorum vaſorum, quàm ſanguinis, & omnium fluidorum, quæ cum ſanguine circumferuntur, vel à ſanguine ſeparantur, ſubitaneum interitum vix unquam indicare poſſe, cùm eædem ſeorſum, & ſingulæ ægros divexaverint. Experimento enim docemur, has notas tunc improvisò morituros præmonſtrare, cùm inter ſe variè permixtæ fuerint. Unde diligens Medicus, rectè divinaturus, neutiquam celeriter pronunciabit, ſed maturè ſigna conjunget, ut nos cap. XVII. jam oſtendimus; id, quod pluries in lib. de progn. inculcavit Hippocrates, quando ſignum aliquod lethale eſſe, decernit, ſæpe repetendo: *ſed oportet alia ſigna contemplari*.

*Signis non ſeorſim, ſed collectim ſumptis, tutiùs repentina mors prædicitur.*

III. Et quidem primò quantum ſpectat ad pulſuum vitia, etiamſi apud aliquos inæqualitas, atque intermittentia tan-

tanti fiat, ut indè [a] Gal. ſubitam mortem Antipatro prædixerit; nos tamen ſignum hoc non ſolùm in pueris, & ſenibus, ut idem aſſeruit Galenus, ſed etiam in juvenibus, & robuſtis frequenter nullo modo funeſtum obſervavimus, cùm ſcilicet ex levi connutrito organorum vitio, vel ex hypochondriorum irritatione procedit, cujus forſitan indolis extitit intermittentia pulſus illius Œconomi, quem ipſe [b] Gal., tanquam ſanum, ad conſveta negocia ingenuè remiſit. Etenim ſi ſola pulſus intermittentia hominem, benè cæteroquin valentem, detineat, adeò optimos Medicos à ſubitaneæ mortis præſagio dehortatur, ut potiùs eos in ſpem adducat, leve illud malum, antequam gravius evaſerit, opportunâ medelâ fore tollendum. Hujus veritatis ex memet ipſo experimentum promam, qui, cùm tria ante luſtra pertinaci, mihique ſenſibili cordis contractione, indèque ortâ pulſus intermittentiâ, ex hypochondriorum conſenſu, per ſexennium laboraverim, plùs in aliis, quàm in meipſo, diligens, & attentus, uſu tandem rhabarbari, chalybis, & juris vipe-

[a] 4. De loc. affect. cap. ult. & 3. de præſag. ex pulſ. cap. 4.

*Pulſus intermittens non ſemper funeſtus.*

[b] De præſag. ad poſth. cap. ult.

*Proprium experimentum.*



Digitized by Google

*Quando periculoſius.* perati, perfectè convalui. Ut igitur intermittentia pulſus improviſæ necis certius omen eſſe poſſit, neceſſe eſt, ut jungatur omni inæqualitatum generi, palpitationi, anhelitui, aliiſque ſimilibus pectoris paſſionibus, de quibus infra.

*Pulſus tarditas quando exitialis.* IV. Pulſus utique tarditas, ſi eadem, ſingulis ictibus languidè recurrens, alterius pulſationis intermedium tempus ferè totum pertinaciter abſumat; probabilius exhibet inopinatæ mortis indicium; præſertim ſi patiens debilis, ac ſenex fuerit, ut ſæpe nos experti ſumus. Etenim quæcumque ſit cauſa, ſcilicet vel ſimplex (quod raròevenit) ex defectu animalium ſpirituum, in præcordia deſcendentium, vel mixta ex fæculento, minùſque mobili per cordis ventriculos ſanguine; *Indicium futuræ cordis paralyſis.* ſemper talis pulſus integram, firmamque ejuſdem cordis paralyſim, aliquando futuram, præmonſtrare ſolet, maximè tempore ſomni, quo, inſtrumentis languidiùs pellentibus, idem ſanguis (etiam ſubobſcurè agnoſcente [a] Hippocr.) tardiùs movetur.

[a] De flat. num. 20.

V. Secundò palpitatio cordis ipſa quoque ſubitæ mortis fit prænuncia, ſi fue-

fuerit frequens, ſi magna, ſi cum anhelitu, animi deliquiis, omni genere inæqualitatum pulſus, tandem ſi æger congruâ vitæ ratione minimè utatur. Etenim, ſi hæc ſymptomata magnâ ex parte ſimul conſpiraverint, ſignificatur, magnum quoque dari vitium in corde, aut ſummis vaſis, cui accedente aliquâ causâ procatarcticâ, nullo labore, motus ipſius cordis, & ſanguinis ex tempore lethaliter ſiſtitur. Quemadmodum veroſimile eſt, Galenum, iis admonitum indiciis, toties decantato Antipatro improviſam, quam poſtea ſubjit, mortem prædixiſſe.

*Cordis palpitatio pernicioſa, quæ.*

VI. E contrario autem, ſi palpitatio oriatur ex causâ, cordi obſtinatè nequaquam adjunctâ, ſed cum fluidis circulante, ut plerunque eſſe ſolet acerrimus ichor, vel quidquid aliud, quod ad irritandas cordis fibras, planè fugitivum, pertingit; rarò abrumpendam illico vitam minitatur. Multos propterea novimus, qui à recurrentibus palpitationibus, evacuatâ copiâ ſtranguirioſæ urinæ, penitus liberati fuerunt; è quibus Illuſtriſs. Præſul Bonaventura, SANCTISS.

*Quænam minùs periculoſa.*

*In his urina ſtrangurioſa ſalutaris.*

CTISS. D. NOSTRI intimus Cubicularius, & Eleemoſynarius, ſplendore Generis, & propriis virtutibus, laudatiſſimus. Latex porrò ſalino-acer, ab hypochondriis maximè redux, ita interdum cordis muſculos convellit, ut ſtranguriosum veluti tranſitum ſanguinis per ejuſdem ventriculos cum palpitatione producat. Multos itidem vidimus, quos pravus ad podicem decubitus, vel gravis podagra à lethali cordis palpitatione vindicarunt.

*Abſceſſus ad podicem, & podagra liberant à palpitatione.*

VII. Dolor ſimiliter cordis, præſertim in ſenibus, ſæpiùs recurrens, inopinatam necem ſolet indicare, juxta illud Hippocratis in Coacis: *Cordis dolor, ſeniori ſæpius conſveſcens, repentinam mortem ſignificat.* Vel enim ſumatur hæc paſſio pro moleſtâ ipſius cordis, & orificiorum ejus ſenſatione, vel pro affectione ventriculi, quæ ſecum trahat ipſum cor, & Græcis cardiogmos vocatur; utroque ſanè modo res eſt ſubitanei periculi plena, præſertim apud ſenes. Inviſimus olim Virum, cui, cedente jam podagrâ, atrox cordis dolor identidem recurrebat; is repentè, obortâ ſuffocatione, circa æqui-

*Diuturnus cordis dolor in ſenibus ſubitã mortem ſignificat ex Hipp.*

æquinoctium , ſublatus eſt . Similem offendimus hiſtoriam apud [a] Hollerium cujuſdam ſeptuagenarii , cui dolor iſte cœpit eſſe frequens cum anguſtiâ ſpiritus, & ſuffocationis periculo ; is etiam , domum rediens , repentè objit.

[a] In Comm. 1. lib. 3. coac. ſect. 2. coac. 17.

*Idem portendit cardiogmos.*

VIII. Neque dubitandum , quin dolor ventriculi , cardiogmos dictus , ſæpeque rediens , ſi ex ſummopere pravis humoribus , in ægro deliteſcentibus , oriatur , inopinatæ mortis unà ſimul cauſa , & ſignum eſſe poſſit : rectè ſiquidem admonebat [b] Hippocrates jis verbis : *Oris ventriculi dolor cum præcordio diſtento , & capitis dolore , malignum , & quidpiam anhelosſum . Nam ji repentè moriuntur , velut in Dyſode*. Significatur enim, in eo corpore liquida eouſque acria redundare , ut veneficam naturam induerint . Etenim , quemadmodum arſenicum , ſublimatum , aliaque hujus generis venena , villos , & fibras erodendo , convellunt ventriculum , & cor , ac propterea citam necem inferre ſolent ; ita multò faciliùs , ac celeriùs ingenita iſta venena aliquando interimunt ; nimirum quia , interiùs collecta , & naturalibus

[b] lib. 1. prædict. n. 9.

*Hipp. authoritas, & rationes adducuntur.*

P flui-

fluidis recenter admixta, expeditiùs per canales quaquaverſum feruntur. Quorum ſanè veneficorum ſuccorum prænuncia ſigna exiſtunt dolor ventriculi, ad præcordia propagatus, cum diſtenſione, & anhelitu, pertinaciter, atque identidem recurrens. Confer huc quæ ſcripſimus cap. VII. hujus libri.

IX. Tertiò, inter ſigna futuræ mortis improviſæ, illud noſtris, aliorumque experimentis magìs certum, comprobatumque eſt præſagium, quod [a] Hippocrates in hanc ſententiam exponit. *Qui frequenter, ac fortiter, ſinè causâ manifeſtâ, delinquunt animo, repentè moriuntur*. Ubi una eſt omnium Commentatorum, ad uſque Clariſſimum Lucam Tozzium, ſententia, ut, pro veraci hujus prognoſeos exitu, tria ſimul conjungantur; primò, ut frequenter; non enim ſatìs eſt, aliquem ſemel dumtaxat in anno viribus cecidiſſe; ſecundò, ut fortiter, nempe uſque ad ſyncopis confinium; denique, ut id abſque causâ manifeſtâ, hoc eſt obviâ, & externâ, contingat. Ita enim ſignificatur, magnum, fixumque aut cordi, aut finitimis partibus hærerè ma-

[a] 2. aph. 41.

*In animi deliquio, ut ſubitæ mortis ſit præſagium, tria requiruntur.*

Digitized by Google

malum, quod, motum præcordiorum, & ſanguinis penitus tollens, ſubitam necem aliquando ſit illaturum. Etenim non rarò in corde, quod paſſim etiam in reliquis muſcularibus partibus, accidit, ut modò pauciores, & laxæ, modò numero, ac vi majores fibræ, vaſaque influentia, & refluentia cum congruâ proportione, aut ſinè eâ ad ſuam integrandam ſtructuram concurrant: profectò in iſtis caſibus, fortiſſimus muſculorum (ut cor ab [a] Hippocrate appellatur) ad naturales ſyſtoles minori, vel majori, quàm par eſt, vi erigitur; unde talis orta imbecillitas, vel extraordinarium robur, non ſolùm tempore contrahit morbos, quibus ad frequentes, forteſque animi defectiones, ſubitæ mortis prænuncias, deducitur; ſed homines vel nimiùm timidos, vel nimiùm audaces potiſſimùm conſtituit: quorum ſanè priores, utpote maximè puſillanimes, improviſum, ac vehemens pathema ſæpe dejicit, ac proſternit; eò quidem faciliùs, quò animi paſſio inceptum, occultumque in præcordiis malum, veluti peſſimam interitus radicem, inveniat.

[a] 6. de cord. n. 4.

*Cordis robur, aut imbecillitas ſæpe timoris, aut audaciæ cauſa.*



Digitized by Google

X. Quartò cùm nulla frequentior ſit via, per quam repentè de medio tollantur homines, quàm larga profuſio ſanguinis intrà, vel extra corpus; idcirco ſecura etiam, & certa repentinæ mortis indicia à Medico peti poterunt ex ſignis, quibus docemur, imminere rupturam ſummorum vaſorum in thorace, utero, inteſtinis, hæmorrhoidibus, aliiſque internis ſedibus. Sed inter ſigna non dubia properæ mortis in hæmorrhagiis, illud ſanè eſt, quod tradidit[a] Hippocrates in Coacis, inquiens: *Si quibus ſanguis effluxit, rigor ſuperveniat, & ulcera maligna ſint; ji, vel loquentes, inopinanter moriuntur*. Hoc paſſim in vulneribus capitis, in carcinomatibus ſanguifluis, aut malignis aliis ulceribus uſu venit, ſcilicet ut, cùm ægri, poſt hæmorrhagias, rigore corripiuntur (diſſipatâ dulci, ac volatili ſanguinis parte, & fermento quodam acri, ac penè venefico ad præcordia, & cerebrum reaſſumpto) ſubitò vitam deſerant.

*In hæmorrhagiis mors inopinata quando, ex Hipp.*

[a] Juxta diviſion. Holler. lib. 4. ſect. 2. coac. 3.

*Frequens cadaverũ ſectio ignotas aliquot ſubitæ mortis cauſas detexit.*

XI. Enimverò, poſtquam frequentiora reddita ſunt humanorum corporum extiſpicia, quibus Antiqui, præ horrore, par-

parciùs utebantur, nobis clarè innotuit, multos, qui ex tempore moriuntur, internis aneuryſmatibus, aut varicibus laboraſſe. Certiſſimum propterea ſollicitæ necis ſignum deducemus ex ſemejoticâ varicum, atque aneuryſmatum, quæ paulatim ad talem, tantamque exilitatem ſanguinea vaſa redigunt, ut aliquando, momento temporis, diſrumpant. Et quidem hîc loci diſſimulare non poſſum, ſæpe experimentis comperiſſe, aneuryſmata illos potiſſimùm ægros inopinatò interficere, qui minùs continentem, frugalemque vitam ducunt: eos verò, qui parcè, ſobriè, continenterque vivunt, aliud morbi genus, ac lentus, utplurimum, ſubortus hydrops, longo cum agone, ſolet interimere. Quare Medicus, etiam, juxta ægrorum mores, ac vivendi conſvetudines, judicia ſua prudenter diſponat, & proferat.

*Interna aneuryſmata ut incontinẽtes ſubitò, ita ſobrios lentè interficiunt.*

XII. Quintò, ex habitu athletico, nulli dubium erit, quin repentinæ quoque mortis indicia deſumi debeant, quoties athletæ, non ſolùm bonum habitum ſinè morâ, juxta [a] Hippocratis præceptum, minimè ſolverint, anticipantes humorum

*Athletis quãdo idem eveniat.*

[a] p. aph. 3.

rum diminutione diſcrimen; verùm etiam lautâ mensâ, ſomno, atque otio pleniùs ſaginentur: quem ſanè pleniorem, & coloratiorem corporis habitum jure ſuſpectum bonum appellavit [a] Celſus. Etenim athletarum plenitudo, cùm ad ſummum devenerit bonitatis, duplici viâ citam mortem minatur, tum quia vaſa intus, foriſque infarcit, ac premit, ſpatiumque propterea fluidorum motui, ac miſcellæ aliquando penitus aufert; tum vel maximè, quia eadem ſanguinea vaſa diſrumpit, ubi minor illorum reſiſtentia, vel major ſanguinis impetus occurrit. Unde ad rem ſcripſit [b] Hippocrates: *compreſſus ſanguis ſuâ copiâ, quà maximè compreſſionem fecerit, venas perrumpit*.

[a] Lib. 2. c. 2.

*Duplex mali eventus cauſa.*

[b] lib. de flat. n. 17.

XIII. Ad hoc ipſum genus ſignorum refertur etiam obeſus, ac nimiùm pinguis habitus, de quo ſanè idem locutus eſt [c] Hippocr., dum inquit: *qui naturâ admodum craſſi ſunt, citiùs intereunt, quàm graciles*. Ji enim vaſa omnia, propter nimiam pinguedinem, ita habent compreſſa, atque exilia, ſanguinemque propter volatilium ſpirituum penuriam, adeò lenteſcentem, ut ejuſdem circulatio, mini-

[c] 2. aphor. 44.

*Obeſi cur repentinam mortem præ gracilibus incurrant.*

ni-

Digitized by Google

nimo interdum negocio, repentè intercipiatur. Quorum exempla nemo Medicorum propriis experimentis plura non congeſſit, præter innumera, quæ paſſim à noſtris Collectoribus referuntur; ut in jis commemorandis tempus terendum non ſit. Illud tamen prætereundum nobis minimè videtur, in hujuſmodi athleticorum, pinguiumque habitu, tunc præcipuè ſubitam mortem à ſedulo, doctoque Medico divinari poſſe, cùm apparuerint faciei, & oculorum color mutatus in lividum, reſpirationis difficultas, cordis angor, motuumque impotentia, veternus, aut vertigo. Si plura circa ſigna repletionis habere cupis, adire poteris [a] Marſil. Cagnat.

*His imminens mors unde dignoſcatur.*

[a] Lib. 1. de ſanit. tuen. cap. xx.

XIV. Tandem non aſpernanda venturæ ex abrupto mortis indicia colliguntur ex ſuppreſſis criticis evacuationibus, aut decubitibus tum ſanguinis, tum fluidorum quorumcunque à ſanguine ſecedentium. Etenim ſæpe accidit, ut vitioſa fluida, vel reaſſumpta, vel non ultra propulſa, lethaliter ſubſiſtant in cerebro, & præcordiis. Pauca hìc ſub exemplo ſumamus.

*Criſis ſuppreſſa ubi ſubitæ mortis prænuncia.*

XV.

XV. Puerperam improviſò deceſſuram penè tutò poteris pronunciare, ſi, pravis humoribus redundans, interdum præfocetur, lochiaque, odorum olfactu, continvò introrſum revocentur; ad cor enim ſubitò reſiliunt, & ad cerebrum aſcendunt; atque utrobique lethiferam ſtationem inducunt.

*Hęmorrhoides item ſenū ſuppreſſæ.*

XVI. Simili prognoſi uti poteris in ſuppreſſis hæmorrhoidibus apud ſenes, qui illarum fluxui aſſveverunt, ſi capitis gravitate, ac vertigine, vel cordis oppreſſione, aut lipothymiis poſt ſiccatas mariſcas diù tentati fuerint, eòque maximè, ſi vini, lactiſque abuſus ad necis cauſam accedat.

*Phthiſicis quale æquinoctium lethiferum.*
[a] 3. aph. 10.

XVII. Improviſò pariter moriuntur phthiſici, quoties circa æquinoctium, præſertim [a] autumnale, pus per anacatharſim non ampliùs excernant.

*Variolarum retroceſſio quādo mortalis.*

XVIII. Si variolæ, ac morbilli, cùm inter ſecundum, ac tertium ſtadium verſantur, pertinaciter retrocedant, ægerque in lecto jactetur; illum inexpectatò moriturum poteris prædicere. Non abſimili quidem præſagio utere, cùm in ægro, cæteroquin languido, & cholerâ hu-

Digitized by Google

humidâ laborante, ſpontè, vel arte excretiones atrabilariæ, vel alterius exoticæ indolis immaturè ſubſiſtunt. Neque à vero deerrabis, improviſam necem ſolerter divinans in ſenibus potiſſimùm, apud quos ani fiſtulæ, crurum ulcera, nares, vel aures, acri ſanie manare conſveta, ab eo opere penitus vacaverint, præcipuè ſi in cerebro, aut in præcordiis inceptæ jam ſtagnationis, atque irritationis indicia ſe prodiderint.

*Emiſſariis occluſis, unde ſubitæ necis prçludium.*

XIX. Hæc autem ſatìs fore, arbitramur prudenti æquè, ac perito Medico; ex jis enim in reliquas prognoſes, à ſuppreſſis evacuationibus ventriculi, cutis, aliarumque partium deducendas, ipſe ex ſe argumenta deſumet. Illud tamen ſedulò, ac ſemper advertimus, ſuppreſſas evacuationes aliquando eſſe tantùm ſigna, aliquando etiam cauſas improviſæ mortis. Sunt quidem ferè nuda ſigna, cùm ea liquida, quæ ſolebant excerni, nec multa, nec pravæ admodum indolis extiterunt. Exemplum habemus cauterii exiccationem in ſenibus, quæ illorum interitum præcurrit, eò quia apud eoſdem univerſa jam fluidorum, ſolidorum-

*Suppreſſæ evacuationes modò ſigna, modò inopinatæ mortis cauſæ.*



Digitized by Google

que machina, de ſuo ſenſim robore remittens, omnia œconomiæ animalis, ac potiſſimùm ſecretionum munera languidè exercet, quibus penitus deficientibus, tandem mors obrepit. Unde non ineptè [a] Roder. Caſtren. – *Clauditur fonticulus, quia homo eſt morti proximus; non eſt homo morti proximus, quia fonticulus clauditur.*

[a] In ſuo ſyntag. prædict. part. 1. cap. 6. particul. 4.

*Interdum ſunt cauſæ ſimul, & ſignum.*

XX. Sunt verò cauſa ſimul, & ſignum properæ necis ſuppreſſæ illæ evacuationes, quæ non copiâ tantùm, ſed deleteriâ mixturâ egerebantur: eæ namque, cùm intrà corpus ſubſiſtunt, in aliquam, jam ante debilitatam, partem majoris uſus decumbunt, ocyſſimumque exitium plerunque portendunt. Neque interim Lectores tædeat, nos adeò inculcare, ne Medici ex tempore præſagia ſua effutiant; non enim ſemper, ubi conſvetæ reſtiterint evacuationes, ſubitus morbus ingruit; interdum lentus inducitur, qui longo etiam cum agone viam ſternit ad interitum.

De

Digitized by Google

*De ſignis improviſæ mortis à cerebro, nervis, & liquido animali.*

# CAPUT XX.

Etiamſi ſupra meminerimus multorum ſignorum, quæ ex perperam operantibus inſtrumentis facultatis animalis improviſam mortem præmonſtrant; de jis tamen plura nunc, & apertiùs dicere conſtituimus; cùm clariùs ea doceri, atque intelligi ſoleant, quæ ſuo ſtant ordine diſtributa, quo confuſo, etiam diſciplinarum peritura ſint omnia. *Ordo eſt anima diſciplinarum.*

II. Primùm itaque capitis, & nervorum affectiones, quæ fortem apoplexiam minantur, clandeſtinam etiam necem plerumque prænunciant. Hæc tamen præſagia, ut exitu comprobentur, non quibuslibet leviſſimis etiam cerebri ſymptomatibus niti debent, ſed validè fundari in cumulo, & congeſtu cauſarum, paſſionum, & circumſtantiarum, quæ omnia ſyndromen ſignorum conſtituunt. Aggregatur verò iſta ſyndrome primò ex ætate ipſius ægri, quæ à qua- *Ad improviſã mortem ex cerebro præſagiendam ſignorum ſyndrome requiritur.* *1. ex Ætate.*



Digitized by Google

*a 3. aph. 31. & 6. aph. 57.* dragesimo quinto per totum [a] ſenium excipiendis ſyderationibus aptior eſſe ſolet. Secundò ex ſuppreſsâ evacuatione hæmorrhoidum, [b] fiſtularum, herpetis, muci narium, & conſimilium: quæ quidem evacuationes, ac decubitus, ſicuti cùm vigent, multorum ſunt medelæ morborum, ita cùm ſpontè, vel arte in ſenibus potiſſimùm ſanantur, facili negocio fortem inducunt apoplexiam, quoties in cerebro talem vaſorum, ac fibrarum imbecillitatem inveniant, per quam plus liquidorum accipiatur, quàm remittatur.

*2. Ex alicujus evacuationis ſuppreſſione.*

*b 6. epid. ſect. 3.*

III. Hujus rei evidens habuimus exemplum initio Novembris 1707. in Illuſtriſs. Præſule Joſepho de Totis R. Fabricæ S. Petri Œconomo, ſexagenario majori, hypochondriaco-melancholicis affectionibus à prima juventute vexato, qui, cùm miliari circa regionem oſſis ſacri herpete, atque ichoroſo hæmorrhoidum fluxu diù juvatus fuiſſet, ætate magìs declivi, primùm herpete, deinde hæmorrhoidibus deſtitui cœpit, ſenſimque deteriùs habuit; ita ut, decurſu poſtremæ æſtatis ſupra modum ſitiens, immodicè

*Exemplum fortis apoplexiæ, ortæ ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus, & herpete.*

Digitized by Google

dicè biberit, ſimulque propter nocturnum æſtum, niſi planè nudus, ſomnum capere non potuerit. Deinceps circa æquinoctium autumnale intenſioribus ſtudiis exagitatus, multas noctes vigil tranſegit, indèque, pravo vultus colore contracto, animi deliquiis (quibus aliquando etiam antea correptus fuerat) identidem per inæqualia intervalla, ac tunc præcipuè, cùm vel minimum in inceſſu aſcenderet, anhelans tentabatur. Tandem in febrim, ſpecie rheumaticam, quam tamen prava comitabantur ſymptomata, incidit; aderat enim lingua ſubobſcura, atque arida cum ſapore auſtero amaricanti; aderat coryza, ſitis, hypochondriorum tenſio, vigilia. Sed aderat præ cæteris tum aſſidua pulſatio intrà cranium ſub lævo oſſe petroſo, cum recurrentibus infernorum artuum doloribus, injuſſiſque contractionibus, tum revertens lipothymia, cùm primùm ſupra cubile ſedere vellet. Urinæ interim erant claræ, & ſolito pauciores. Cùm verò ita ſe res haberent, jubeor à SACRATISS. PONTIFICE illum inviſere; apud quem inito con-

ſilio

Digitized by Google

ſilio cum Excellentiſs. D. D. de Paulis, & Saxio, de futurâ, præcocique morte ſtatim dubitavi. Quod ſanè circa XXI. diem à principio febris eventu comprobatum vidimus; Præſul enim, fortiſſimâ correptus apoplexiâ, brevì deceſſit.

*Diſſectio cadaveris.* IV. In ejus mox cadavere decem lapides intrà cyſtim felleam fuſci coloris, & figuræ pyramidalis detecti fuerunt, qui aquæ, & vino ſubſidebant, aceto innatabant. Pylorus contractus. Cor mole magnum, & nigro cruore plenum tam in auriculis, & ventriculis, quàm in ſummis venis, & arteriis. Pulmones admodum infarcti. Secto cranio, tendines laterales ſinuum duræ matris in quatuor oſſa induruerant, quorum duo aſſurgebant figuræ triangularis, reliqua ovalis; ſingula verò inſtar oſſis cribriformis foraminibus referta occurrerunt. Pia mater craſſa, & concretæ lymphæ copiâ admodum gravata. Cerebri cortex ſolito pallidior. Prominentiæ tertii ventriculi aliquantò ſolidiores: Plexus choroides mirè adhærebant anterioribus ventriculis, ut indè non niſi magnâ adhibitâ vi divelli potuerint. Denique co-

pio-

Digitized by Google

pioſæ ſuffuſio lymphæ circùm glandulam pinealem, & cerebellum.

V. Hinc verò non ægrè deduci poteſt, impurum illud ſulphur, & ſal acre, quæ olim phlegmate diſſoluta, vigentibus in Præſule, quà ſolidorum, quà liquidorum viribus, utiliter cuneabant, diducebantque loca prope coccygem, ſenſim detrudi, ac veluti deſpumari prohibita fuiſſe propter vitium tum ſanguinis, ſuo paulatim oleoſo–volatili ſpiritu depauperati, tum ipſorum canalium, periſtalticis motibus minùs, quàm par eſt, pollentium. Retenta verò, & multiplicata in vaſis impura iſta corpora, primùm, irritando, ſitim, æſtum, & vigilias, deinde, inducendo in fluido univerſali fermentationem, & vitiando liquidi nervorum craſim, febrim ſpecie rheumaticam, ſed indole penitus malignam, cum nervorum contractionibus, excitarunt; donec tum lympha, tum ſanguis ex craſſo ſulphure, & auctis exoticis ſalibus denſiora facta, in cerebro, & præcordiis repentè ſubſtiterunt, fortiſſimamque induxerunt apoplexiam. *Ætiologia morbi, & mortis.*

VI. Sed ad rem noſtram redeamus.

Ter-

Digitized by Google

*3. Ex præviis capitis, &c. affectionibus.*

Tertiò ex præviis capitis, & nervorum affectionibus apoplexiarum prognoſes ſunt deſumendæ; rarò enim forti apoplexiâ quis prehenditur, niſi horum præludia ſymptomatum præceſſerint. Hæc autem ſunt dolor, gravitas, atque imbecillitas capitis, memoriæ jactura, in ſomnum proclivitas, vertigo, cœcitas, membrorum torpor, & præ omnibus, leves, quæ antevenerint, apoplexiæ: eæ namque in fortem, ac ſubitò interimentem tandem deſinunt.

*Exitioſæ apoplexiæ quo tempore potiſſimùm contingant.*

VII. Et quoniam Hippocrates vult Medicum adeò in divinando peritum, ut non ſolùm ipſam mortem, ſed illius etiam tempus præſagire noverit: idcirco ſciamus, oportet, apoplexias, ocyſſimè interimentes, non tantùm circa æquinoctia, ſed etiam circa ſolſtitia frequentiſſimè contingere, ut aliàs monuimus. Quare per hæc tempora eas divinare poterimus, ubi ſigna præcurrant; & conſtitutio aeris fuerit inæqualis, pluvia, aquilonaris, & auſtralis; aut æger utatur parùm laudabili vivendi normâ, ac præcipuè inſalubrium ciborum, & vini ſit appetentior. Atque hinc ſenes utriuſque ſe-

Digitized by Google

ſexus, quoties ex cerebri, nervorumque decubitu cœci evaſerint, & poſt hyemale ſolſtitium, inter ipſas noctis tenebras, ſibi ignem, aut ſplendorem identidem videre videantur; ji quidem facilè, cùm ſol in taurum ingreditur, forti apoplexiâ correpti, repentè decedunt. Significatur enim, magnum jam tremorem, preſſionemque ad thalamos nervorum opticorum, & partem medullæ cerebri poſt illud ſolſtitium inductos fuiſſe, quibus ob reſpondentem quadraturam, longè major, immo maxima, & violentiſſima diſtractio, & preſſio ſuccedere ſolent, quæ, præſertim ad cerebri circumferentiam ſimul, & centrum in ſenibus factæ, breviſſimè necant. Hujuſmodi verò prædictiones, ex obſervationibus medico–aſtronomicis deductæ, non Artem modò, ſed ipſos etiam Artifices illuſtrant. Vide hujuſmodi ſplendores tanquam malum omen apud [a] Hip., & [b] Hollerium.

*Senes quando evadant apoplectici, poſtquàm noctu ſplendores vidiſſe ſibi videantur.*

*Medico-aſtronomica obſervatio ad præſagiendũ proſicua.*

[a] v.epid.tex. 79.

[b] Tom. 2. in 2. ſect. coac. Hip. pag. m. 1094.

VIII. Secundò, qui jam diù epilepticis recurſibus tentati fuerunt, indèque immemorem, languidam, ac melancholicam ducunt vitam, hanc ſanè re-

*Ex epilepticis qui repentè pereant.*

pentinâ morte claudere ſolent, rupto plerunque intrà cranium vaſe ſanguifero, poſt inductam ſupra cerebrum congeſtionem. Quare prudens, & ſciens Medicus in jis caſibus tutò fatalem improvisò diem prædicere poterit.

*Capitis vulnera, &c. inopinatò enecantia, quæ.*

IX. Tertiò, qui ex capitis vulneribus, aut contuſionibus laborant (etiamſi in tuto eſſe imprudentioribus viderentur) ſi rigore corripiantur, brevi tempore decedunt. Significatur enim, factam fuiſſe ſub cranio vaſculorum rupturam, unde effuſa liquida, diſſipato per moram volatili, eâque ratione everſâ craſi, in acerrimam, & veneno ſimilem naturam abjerunt, quæ tandem quaquaverſum in nervorum principium, ac fines repentè diffunduntur, mortiferamque convulſionem inducunt, in quorum cadaveribus ferè ſemper invenitur abſceſſus in hepate, cujus ætiologiam exhibemus in noſtro ad Hip. Lib. de vulner. capitis Commentario.

*In jis plerunque abſceſſus in hepate.*

X. Hæc ſanè, quæ tribus capitibus improviſæ mortis ſigna perſtringimus, cæterorum indiciorum, etiam illorum, quæ ex animo veniunt, exemplar eſſe poſ-

poſſunt, ac documentum, rati, oportere, Medicum ita prudenter in hoc negocio ſe gerere, ut, ſi non ſemper verè divinet, ſaltèm non ſæpe fallat. *Certitudinem namque exactam in Medico*, ut ait [a] Hipp., *rarò videre contingit*. Unde laudaverim, ut quis potiùs à prædicendo ſe abſtineat, quàm imperitiam ſuam palam oſtendat. Turpe ſiquidem eſt, illum, quem improvisò moriturum pronunciavimus, vel evaſiſſe, vel lento morbo deceſſiſſe.

*Medici prudentia in ferĕdâ prognoſi.*

[a] de vet. med. n. 16.

---

*Agitur in genere de methodo præſervandi à ſubitaneis mortibus.*

## CAPUT XXI.

POſt ſigna proximum cenſemus de præſervativâ methodo ſubitaneæ mortis verba facere. Etenim, ut homo graviùs, ac frequentiùs brutis animalibus ægrotat, atque idcirco, pluribus inventis, excogitatiſque pharmacis, huic infortunio medetur; ita, cùm crebriùs quoque improviſæ ne-

ci, ex internis cauſis ortæ, ſit obnoxius, rationi conſonum eſt, ut ſubitaneum diem aut penitus declinare, aut ſaltèm pro viribus ſtudeat retardare.

II. Scio, apud Ethnicos antiquiſſimum fuiſſe problema, quodnam genus mortis, lentæ ne, an verò ſubitæ hominibus fuerit exoptandum? ac proindè [a] Jul. Cæſarem pridie ante mortem, cùm apud Marcum Lepidum cœnaret, hoc moto ſermone, omnes antivertiſſe exclamantem, *inopinatum*. Sed o fallacia hominum deſideria! o votum inane, & punitum! Ipſe ſiquidem Cæſar proprio didicit experimento, omnium peſſimam eſſe necem inopinatam, quippe quæ neque ipſi cum indolentiâ contigit, ut fortè putabat, neque ſinè contumeliâ. Nos verò, quorum mentibus in tantâ cauſarum obſcuritate Deus Opt. Max. altum, æternumque Fidei lumen immiſit, illam multò magìs mortem tum optimam opinari, tum ſalutarem optare debemus, in quâ (ut inſignis pietate, ac judicio Vir Cardinalis Commendonus [b] ex D. Auguſtini ſententiâ, dicere ſolebat) animum ſenſibus integrum morti compo-

[a] Apud Plut. in Cæſare.

*Inopinata mors à probo, & prudenti viro haud exoptanda.*

[b] Ex Gratian. in ejus vitâ lib.4 cap. ult.

ponere, & Deum nobis per Chriſtianæ Diſciplinæ ſacra, piaculaque poſſumus propitiare.

III. Quid? quòd, ſi de ſolis humanis foret conſulendum, nobis certè nunquam ſubitum, atque inconſideratum è vitâ diſceſſum concupiſcere oporteret. Quis namque adeò ferox inter commercia hominum adolevit, qui acerbè, penituſque & ſuos, & ſua oderit, ut ante mortem teſtamenta conſcribere, mutare, obſignare, dicere aliquid, aut reddere, ſi cui debet, ad patriæ, ad affinium, ad ſui denique tranquillitatem, pertinaciter nolit? Qui liberis conſilia, amicis, ut fecit Socrates, dare oſcula negligat? Timeamus itaque, quantùm humana, quantùm ſunt æterna æſtimanda, timeamus, inquam, inopinatam, ſubitamque mortem; Deumque propterea Univerſalis Eccleſiæ vocibus enixè precemur, ut nos ab eâdem pro immensâ ſuâ benignitate tueatur.

IV. At noſtri ſuſcepti memores inſtituti partem eſſe, putamus, diligenter expendere, quâ methodo à cauſis hujuſmodi interitus ſolerter declinemus.

V. Enim-

Digitized by Google

V. Enimverò daturi methodum præſervandis improviſis mortibus, quæ ab internis cauſis dependent, initio admonemus, hanc normam per Medicos unicè derivandam eſſe ab hygiene, & therapeiâ illarum affectionum, quæ in aliquem ex ſubitaneis morbis poſſunt tranſire, unde ægri repentè decedant: propterea quicunque ſtudiosè legerit Capita ſuperiora de ſignis, certè non obſcurum tenebit principium, à quo hujuſmodi præcautionis diſcrimina deſumenda veniunt. At quoniam innumeræ, ut expoſuimus, exiſtunt noſtrorum corporum affectiones, quæ ſubitam mortem inferre valent; idcirco ſapiens, oportet, expertuſque ſit Medicus, ut conſilium, unicuique congruum, adhibeat. Sed cùm adhuc nonnulla in genere demonſtrari poſſint, ea nunc ſummatim exponere non omittemus.

*Corpora improviſo fato ſubjecta nunc tanquam ſana; nunc velut ægra conſideranda.*

VI. Corpora, improviſis hiſce caſibus ſubjecta, vel ſunt aſpectu ſana, vel evidenter ægra. Ab hac verò univerſaliſſimâ diviſione mihi petenda videtur præcipua partitio methodi præſervativæ. Et quidem, ut de utroque membro diviſio-

ſionis abſque ullâ confuſione differamus; Sit

*Quâ methodo præſervanda ſint corpora aſpectu ſana.*

## CAPUT XXII.

Corpora, quæ tanquam ſana noſtros incurrunt in oculos, & ſummâ nihilominus cautione egent, ne inopinatò diem ſuum obeant, tripliciter conſiderari poſſunt; primò cum nimiâ plethorâ, ſeu cum athletico habitu; ſecundò cum nimiâ obeſitate, & corpulentiâ; tertiò cum nimiâ animi imbecillitate.

*Corpora aſpectu ſana tripliciter expenduntur.*

II. Primò corpora athletica, cùm ad ſummum bonitatis devenerint, juxta [a] Hippocr. effatum, ſtatim ſolvenda ſunt, celeri adhibitâ phlebotomiâ, dietâ, vini abſtinentiâ, atque corporis exercitatione. Etenim athletæ (ut Plinius ajebat de Lunâ, quæ orbe pleno, repentè per eclypſim eſt nulla) propter nimiam partium foris, intràque canales plenitudinem,

[a] p. aph. 3.

*Athletica quomodo præſerventur.*

nem , repentinâ interdum morte eclypſantur ; ac proindè ſolâ juvantur diminutione quantitatis ſanguinis, ac ſubtractione molis, qualitatiſque alimentorum, & potuum , ut hâc ratione , ſi quid reliquum extremis vaſis hæret impactum, motu corporis diſſolvatur, remiſceatur, atque, in gyrum actum, majori denique parte tranſpiret. Neque porrò apud iſtos exercitatio procuranda eſt priùs , quàm vaſa depleta ſint, & diminutum alimentum; ne illud idem , quod in præcautionis auxilium inducitur , improviſam mortem diſruptione vaſorum acceleret.

*His quando imperanda exercitatio.*

III. Sed omnis certè prophylaxis hiſce in corporibus inutilis evadet, niſi altior quædam plethoræ radix optimè cognoſcatur, & parumper debilitetur. Hæc autem illa eſt , quâ ſani homines tantopere gaudent , ſtomachi nimirum validitas ; unde non levis apud eoſdem peccandi in ratione victus fiducia, atque incitatio proficiſcitur . Ji enim cibos non modò nimios, ſed abſque ullo delectu ingerunt, citòque in chylum converſos intrà ſanguiferos ductus tranſducunt. Sed, cùm non æquali proportione tranſpirent,

*Stomachus validus morboſæ plethoræ fomes.*

rent, neceſſe eſt, ut illorum vaſa impleantur, diſſilitura plerunque, cùm plùs æquo diſtracta fuerint. Sciant igitur qui bono, validoque ſunt ſtomacho, præſertim ſi, extra adoleſcentiam poſiti, ſtudiis incumbant, hoſtem intrà ſe gerere, qui, niſi accuratè caverint, improviſæ morti cauſam aliquando præbebit. Etenim ji, quoties ſe motibus non exercent (hoc autem diligenter notandum) modico egent cibo, tanto ſcilicet, quanto dumtaxat opus eſt ad reparanda fluidorum diſpendia, quæ non multa impenduntur in illorum tranſpiratu ſolidorum, quæ motui aeris, ſanguinis, & liquidi nervorum tantummodo inſerviunt: minimum enim eſt, quod à penè quieſcentibus iſtorum artuum muſculis, & ſuccutaneo organo inſenſibiliter perſpirat.

*Ab exercitio, & ætate cibi indigentia definienda.*

*Quænam partes, & cur minùs perſpirent in ſeſſilem vitã ducentibus.*

IV. Neque verò in alimentorum, potuumque genere ulla unquam ſecurior, pro tuendâ valetudine, inveniri poteſt via, quàm quæ indicatur à [a] Sanctorio, & ſequenti aphoriſmo perſtringitur. — *Illa cibi quantitas eſt ſaluberrima, dum à cibo corpus ſuis negociis eâdem agilitate vacat,*

[a] In ſuâ ſtaticâ ſect. 3. aph. 35.

*Saluberrimum Sanctorii præceptum.*



Digitized by Google

*ac ſi eſſet jejunum*. – Hoc autem conſilium opportunum eſt non pro ſolis plethoricis, ſed pro alio quovis habitu, qui ſanus, atque incolumis ſervari cupiat. Falſò propterea homines de naturâ ſuâ vulgò queruntur, quòd ventriculi languore, atque imbecillitate afficiantur. Iis enim ipſemet morbus tum peccandi, tum ſe ſe interficiendi facultatem adimit; cùm, ſi ſemel horum quis cibo ſive pravo, ſive copioſiori, uſus fuerit, ſtatim erroris admoneatur. Hinc ſtomacho debiliores plerunque evadunt longævi. Ut præ cæteris inſigne, ac vulgatum habemus exemplum in Celeberrimo [a] Ludov. Cornaro, qui, ſolius adminiculo ſobrietatis, proſperâ valetudine vixit ultra ſæculum. Verùm longiùs fortaſſe progredimur, fallente nos cupiditate plethoricos habitus præſervandi.

*Debiliores ſtomacho cur plerunque longævi.*

[a] In ejus vitâ à ſemetipſo deſcriptâ.

V. Deinde obeſa nimiùm, & pinguia corpora à repentino mortis periculo tuentur primò ea omnia, quæ tollunt plenitudinem lymphatico–pinguem viſcerum, vaſorum, & carnium; cujuſmodi ſunt epicraticæ purgationes cum pilul. tartar., aloeticis, de ammoniaco, & ſimi-

*Epicratica purgatio quam plenitudinem adimat.*

milibus; ſecundò, quæ benignè diſſolvunt reſiduam mucoſam, viſcidulamque fluidorum partem, eamque potiſſimùm per urinam derivant; nimirum terebinthinata, oxymel. ſcill., acidulæ etiam aluminoſæ; dummodo tamen homo ætate ſit vigenti, ac juvenili, quem in ſenſum accipiendus eſt [a] Timæus, cùm in obeſo corpore hujuſmodi aquam proficuam obſervavit; tertiò parca victus ratio, quæ partem detrahat ciborum, præſertim humidorum, eiſque ſubſtituat mediocriter exiccantia, atque aromatica; quartò ea, quæ ab ipſis carnibus perpetuò demulgent ichores viſcidulos, ut frictiones, & fonticuli; tandem accurata, & nunquam intermiſſa corporis exercitatio, per quam fibræ muſculares, ſupra vaſa, & ſupra glandulas validè nitentes, humores urgent, comminuunt, volatilizant, aptoſque reddunt ad diureſim, ac diaphoreſim, quæ quidem ſunt viæ, per quas ſanis in corporibus ea recrementa ſecedunt, quibus collectis, præcoces morbi, morteſque ſæpe accerſuntur.

*Plura obeſis proficua remedia.*

[a] caſ. med. lib.6. caſ.3.

VI. Denique illi homines, qui, quan-



Digitized by Google

tumvis corpore ſani videantur, animo tamen ægrotant, cujuſmodi ſunt extra modum timidi, ac puſillanimes, ſaluberrimum præcautionis conſilium invenient, ſi ipſi ſe, & alii illos tueantur à ſubitis, atque improviſis gaudii, aut timoris occaſionibus. Etenim cùm hujuſmodi corpora ſortita ſint cerebri, & præcordiorum fibras cum tono minimè reſiſtenti, ſeu maximè languido; idcirco prudenter fugere debent ea omnia pathemata, quæ improviſam, validamque in cerebro excitant ideam lætitiæ, vel timoris, propter quam alterantur diametri vaſorum, perturbatur motus ſanguinis, nec non rhythmus undarum fluidi animalis per nervos, præſertim in præcordia; ac proindè ſubvertitur motus cordis, & totius ſanguinis, non ſinè evidenti diſcrimine integræ diſſolutionis ipſius vitæ, quæ cum perenni, ac regulari motu iſtorum præcipuè fluidorum per corpus circumagitur.

*Timidi quomodo præcavendi.*

De

Digitized by Google

*De methodo præſervandi à ſubitaneo interitu corpora valetudinaria.*

## CAPUT XXIII.

NON arbitror in id mihi ſtudium incumbendum, ut ſub iſto capite exponam ſingulas præſervandi rationes, petitas ab omnibus ſingillatim morbis, qui ægros in ſubitas neces poſſunt adducere; immenſam enim, ac penè infinitam rem imprudens tentarem: cùm quilibet Medicus ex particulari uniuſcujuſque morbi pathologiâ, ac therapeiâ (ut cap. XXI. innuimus) methodum, ac remedia præſervativa ex ſe ipſo copiosè ducere valeat. Quæ enim factum jam morbum tollunt, plerunque antefacta prohibent. Hinc ſatìs ſcitè ſcripſit [a] Hip. *Decubitus quidem, in quibus facta tollit, hæc ante facta prohibent.* Dicemus itaque breviter, ac veluti per genera, ut, ſignatis quibuſdam quaſi ſedibus, Practicorum memoriam juvemus.

[a] 6. epid. ſect. 3. tex. 36.

II. Et quidem, ut hìc etiam loci congruum ordinem ſequamur, conſiderabimus, ex hujuſmodi valetudinariis cor-

*Ex valetudinariis alii interiùs, alii exteriùs ægrotant.*

po-

poribus alia interiùs, alia exteriùs ægrotare, juxta quam diviſionem prophylacticas medelas apertiùs inveniemus.

III. Inchoantes verò ab internis morbis, quanquam iſti variis modis invicem permiſceantur; immo raro malum ullum ſinè complicatione prorogetur; attamen quò clariùs, ac firmiùs medelarum notiones Curantium animis hæreant, operæ pretium cenſemus in re præſenti generales tum ipſarum ægritudinum, tum remediorum ideas omnino diſtinctas tradere, quas Medicus pro ſuâ deinde prudentiâ in particularibus caſibus facilè componet.

*Triplex affectionum genus valetudinarios ad ſubitũ interitum diſponit.*

IV. Præternaturales affectiones partium majoris uſus, quæ homines valetudinarios detinent, tandemque repentè poſſunt occidere, ad tria præſertim genera reducuntur; primò ad lentas corroſiones; ſecundò ad pertinaces convulſiones; tertiò ad congeſtiones. De ſingulis ſeorſum agemus, etiamſi corroſio ſpaſmum, ſpaſmus congeſtionem, & è contrario, vel perturbato ordine, ſingulæ ſingulas inducant.

V. Lenta corroſio internorum ſangui-

fe-

Digitized by Google

ſerorum, ſive aneuryſma ſit, ſive varix, utpote frequens cauſa inopinatæ mortis, meritò omnium prima ſe nobis offert perpendenda: utra enim ſit, cùm alicubi integrum tollit membranarum repagulum, illico tranſverſam, deterrimamque ſanguini viam intrà cavitates aperit, morteque perimit improviſâ.

*Primum eſt internorũ ſanguiferorũ lenta corroſio.*

VI. At verò, ut plura ſimul complectamur, illud, præ omnibus, hiſce in caſibus valere, cenſemus, quod proponit [a] Hipp. in pectoris, ac pulmonum varicibus, quarum ſub nomine aneuryſmata comprehendere videtur; inquit ſanè. *His confert, ſi circa exordia curandos ſuſceperis, ut manuum venæ relaxentur, & victus ratione utatur, ex quâ ſicciſſimus, & maximè exanguis evadat*. Neque certè diuturna praxis ullam tutiorem præſervandi methodum nos edocuit, quàm ſi hujuſmodi ægri, poſt parcas inter initia phlebotomias, in vivendo ſint continentes, abſtinenteſque. Plures idcirco novimus religioſos Viros, qui præcordiorum aneuryſmatibus correpti ([b] ut ſuperiùs obſcurè indicavimus) propter accuratum vitæ regimen ad ultimum uſque ſe-

[a] Lib. 1. de morb. n. 10.

*Varices pro aneuryſmatib; accipit Hipp.*

*Horum prophylaxis ex eodem.*

*Authoris exempla.*

[b] Cap. 19. n. 4.

*Sobrietas, & moderatum exercitium jiſdem prodeſt.*

ſenium pervenerunt, ac nonniſi ex lentâ tabe, vel hydrope paulatim deceſſerunt. Contra verò quotquot iſtiuſmodi mali genere divexati, genio, & gulæ indulſerunt, vel immoderatis motibus corpus exercuerunt, omnes repentinâ morte ad ſepulchrum feſtinaſſe, recordamur.

*Experimenta ratione comprobantur.*

VII. Noſtris porrò experimentis ratio non dubia ſuffragatur. Etenim is, qui varietate utitur, ac multitudine ciborum, potuumque, neceſſe eſt, ut multum indè ſanguinem, variis etiam acredine pollentibus particulis refertum, ingerat. Is pariter, qui vehementibus tam aeris, quàm exercitationum motibus ſeſe objicit (quoniam ſolida contra fluida, & viciſſim fluida contra ſolida majori niſu impellit, & urget) neceſſariò, inceptam jam, vaſorum corroſionem, ac diſtractionem promptiùs auget, ac perrumpit, quàm qui rectâ utitur, ac moderatiſſimâ ratione ſex rerum nonnaturalium, & præſertim diætâ, quam tantopere laudat [a] Hipp. in ulceribus. Evidens ſanè, ſi ab animantibus etiam diſcedamus, exemplum præbent flumina, quæ, licèt ripam pluribus locis perruptam habeant, tamen ex-

[a] de Fract. n. 29.

Digitized by Google

extra illam non diffluunt, neque in vicinos campos evagantur; niſi cùm nova, magnaque accedat recentium aquarum copia, vel adverſus ventus profluentibus undis vehementiſſimè obſiſtat, ac renitatur.

*Quomodo lymphatica in præcordiis, vel cerebro debilitata, ne brevì diſrumpantur, præcavenda.*

VIII. Quod de ſolis ſanguineis vaſis hucuſque protulimus, ad lymphaticorum quoque texturam debilitatam referri poſſe, non dubitamus. Etenim, ſi hujuſmodi lymphaticorum vitium, in præcordiis, vel cerebro exiſtens, teneat hominem, qui modicum cibum, & parciorem potum unà cum benignis vulnerariis uſurpet, is plerunque conſeneſcit, ac lentè quoque cum ipsâ vaſorum ægritudine commoritur. Contra verò, ſi homo iſte helluo fuerit, & bibax, magnâ, ocyſſimâque ſubortâ ſeri intrà ventres effuſione, aliis etiam concurrentibus cauſis, interdum occidit inopinatò.

*Ex vulnerariis decoctionibus quales ad uſum revocandæ.*

IX. Pauca nunc addenda putamus de vulnerariis decoctionibus, quæ, cùm ſatìs, ſuperque apud Medicos innoteſcant, longo ſermone non indigent. Dicemus dumtaxat, illas, ſi temperatæ, nec admodum reſinoſæ fuerint, acre, quod in

fluidis dominatur, facilè abſumere, talemque ſanguini craſim conciliare poſſe, per quam fibræ diſciſſæ aut planè coaleſcunt, aut ſaltèm ab ulteriori plerunque vindicantur eroſione. Quinimo quoties impendit periculum effluxuri è vaſis magnâ copiâ ſanguinis, ad ſauciatorum, ut ajunt, anchoram erit confugiendum, ſcilicet ad opium uſtum, ad fungum Melitenſem, ad medicamenta ex vitriolo præparata, aliaque hujus generis, quæ, & ſanguinis impetum, & vaſorum laxitatem coercendo, futuram ex nimiâ hæmorrhagiâ improviſam mortem ſaltèm ſuſpendunt. Sed Lectorem velim eſſe memorem illorum, quæ fusè diſſeruimus de non citò ſiſtendis hæmorrhagiis cap. VIII. hujus Libri num. XI.

X. Rationem deinde præſervandi à ſubitâ nece illos homines, qui pertinacibus convulſionibus detinentur (quam ſecundo loco tradendam poſuimus) nemo proximè attingere, multò minùs complecti poterit, niſi priùs loca, & cauſas convulſionum accuratè diſtinguat. Etenim, ſi ſpaſmodicæ paſſiones fuerint in ſtomacho, hypochondriis, vel ute-

Digitized by Google

*Ratio præſervandi in ſpaſmis, à materiâ ſubtili productis.*

utero, pendeantque à ſuccis, ad ſubtile, & ſulphureum acre exaltatis, eo in caſu conducunt aquea, ſubacida, emplaſtica, balnea, ducciæ, ſerum, & lac. Quinimo ad antidota etiam recurrendum erit, ubi venenorum ſit metus; quemadmodum, ſi dolores urgeant, ad moderata quoque narcotica, ſulphur vitrioli, ens veneris, aut bezoarticum joviale. Si verò viſcidulum ſit fermentum, ſed abſque ſuppuratione, tunc oleoſa cum fluidis, martialia, amara, myrrhata, & præſertim rhabarbarum, & cortex Peruvianus, cum ſpecificis anthyſtericis, & antiſpaſmodicis, mirè conferunt; eoque magìs ſi vermes in diſcriminis cauſam venire cognoſcantur; quo in caſu etiam ad mercurialia tutò deveniemus.

*Ex materiâ viſcidâ aliter tractandi.*

XI. Inter ſpecifica verò quiſque Medicus ea deligit, diligitque, quæ ſibi longus uſus commendavit. Noſtris tamen partibus hìc defeciſſe videremur, ſi, de antepilepticis, atque antiapoplecticis dicturi, id taceremus, quod non multos ante dies nobis reſcire contigit.

XII. Eruditos ſerebamus ſermones in Bibliothecâ Vaticanâ cum Doctiſſimis



Digitized by Google

æquè, atque Humaniſſimis Viris D.D. Cuſtodibus Abbatibus Zaccagnio, & del Miro, qui tunc fideliter deſcribi curabant antiquos M. S. Codices Biblioth. Palatinæ, apud quos deſcripta ſervantur ſecretiora quædam medicamenta. Sciſcitanti autem mihi, cujus eſſent, reſponderunt, Variorum Authorum; ſed hæc inter, celebrem audivi aquam contra epilepſiam, & apoplexiam. Aderat verò Interpres, qui ex germanicâ, quâ ſcripta ſunt, in linguam Latinam, vel Italicam traducit. Hic itaque retulit, eam aquam eſſe Celeberrimi Jo: Langii, qui illam, dum viveret, Principibus Palatinis ſecretò communicavit. Nos itaque primùm conſiderantes, mox conferentes formulam iſtius cum formulis, quas Sennertus, Ettmullerus, Jungken, aliique deſcribunt, utique parum diverſam, quantum ſpectat ad componentia, diſſimilem verò comperimus, in quantum ad artificium, quod certè, cùm ſit admodum elegans, nos cogit, ut eam hîc tranſcribamus.

*Vera formula Aquæ Antepileptica Jo: Langii apud: Bibliot: Vatic.*

XIII. Præmitto tamen, hanc aquam multùm juvare poſſe præcavendis epile-

pticis,

pticis, atque apoplecticis inſultibus apud eos ſolummodo, qui craſsâ, ac frigidâ, ut vocant, lymphâ abundant; apud alios verò, qui penè igneâ ſanguinis plenitudine, aut varicibus, vel aneuryſmatibus in cerebro laborant, noxiam futuram. *Quos epilepticos juvet.*

XIV. Neque interim aliquis miretur, nos laudare aquam, paratam ex vino, quod in hujuſmodi morbis tantopere damnavimus: Etenim vinum hîc loci eſt ſolummodo menſtruum ſpecierum componentium; unde novam ex oleoſo-volatilium corporum mixturâ indolem acquirit. *Cur proſit, etſi ex vino parata.*

XV. Formula eſt ſequens, eaque in Italiâ menſe Majo paranda. *Ejuſdem formula.*

℞. Vini malvatici, vel alterius boni, & odorati ℔. iiij.

Pone in vaſe vitreo, addendo ſingulis diebus per v. dies M. j. flor. lilior. convall., & vas exponatur radiis ſolaribus. Deinde ſuis organis deſtilla. Mox ſume

Cinnam. elect.
Flor. lavendul.
Sem. fœnicul. *an.* ℥. j.
Nucis moſch.
Caryophyllor.

Flor.

Flor. ror. marin.
ſtœchad.
Cubebar. *an.* ℥. j. s.
Ligni viſc. querc.
Rad. pœon. ma.
dictamn. alb. *an.* ℥. v.

M. Contundantur craſſo modo, & ponantur omnia in ſuprad. ſpiritu deſtillato, rurſuſque per triduum ſoli exponantur, ac deſtillentur.

*Quomodo, & quando propinetur.*

XVI. Uſus eſt, ſumendi cochleare iſtius aquæ, quoties de vertigine, vel apoplexiâ timeatur. Cùm verò epilepticum paroxyſmum præcavere quis velit, monet Author, ut de hac hauriatur cochleare ante novilunium.

*In pectoris convulſionibus pars affecta diligenter perquirenda.*

XVII. Si convulſiones obſerventur in pectore, videndum, utrùm in pulmonibus, an etiam in corde, & magnis vaſis; & tunc maximè ad cauſas reſpicere oportebit, & potiſſimùm cognoſcere, utrùm de ſepulto tuberculo, vel aneuryſmate ſit dubitandum: ad quorum malorum diſcrimina prophylaxis quoque erit dirigenda. Porrò, ſi ſolitarius fuerit, aut cum ſimplici lymphæ congeſtione thoracis ſpaſmus, tunc uſurpanda erunt, judi-

judicio Curantis, oleoſa, ſulphurata, terebinthinata, ſuccinata, camphorata, emulſiones, aliaque multi generis aquea, & diluta. Si, præter ſpaſmodicas contractiones, dolores, & febres urgeant, laudantur juxta doloris gradum, ægrique vires, etiam phlebotomiæ, & mitiſſima paregorica, de quibus prudens, ac ſciens Medicus opportunè decernet. *His phlebotomia quando conveniat.*

XVIII. Licèt verò hîc loci de convulſionibus partium, in thorace contentarum, ſummatim dumtaxat dicere conſtituerimus; incongruum tamen minimè arbitramur, particulatim etiam meminiſſe ſubitæ, miræque cordis convulſionis, quam Celeberrimus noſtri Rom. Archilycei Matheſeos Profeſſor Vitalis Jordanus menſe Aprili anni 1692. cum evidenti vitæ diſcrimine paſſus fuit. Is tunc erat ferè ſexagenarius, & jam ex diuturno brachii dolore ſpeciem torporis contraxerat. At, cùm in Epiſtolas Hydroſtaticas Clariſſimi Gulielmini non minùs celeriter, quàm validè, cunctos ingenii (quod ei acerrimum ineſt) nervos intendiſſet, ſtatim ſenſit, brachii moleſtiam ſibi evanuiſſe, eamque capitis in *Hiſtoria miræ cordis convulſionis.*

gra-

Digitized by Google

gravedinem converſam, indèque repentè in corde urentem quaſi clavum infixum, ut viſcus illud vehementer convulſum experiretur. Interim accerſor ipſe, qui advolo ad Amicum, meumque olim in Mathematicis Præceptorem, quem invenio facie Hippocraticâ, gelidis, ſudoreque perfuſis artubus, denique pulſu penitus myuro, ut non ſimplicem ægrum, ſed planè moribundum videre mihi viſus fuerim. Exaggerabat tamen, ut poterat, Vir ille magnanimus, mortiferum cordis angorem, ſtrangulationem, & illud veluti vulnus exurens. *Felix curatio.* Statim verò exhibeo uncias quatuor olei amygdalarum dulcium rec. tracti cum aliquot granis camphoræ, & guttis olei Matthioli; quo, & aquâ Reginæ Hungariæ regionem cordis, nares, & artus liniri, jubeo. Mirum ſanè dictu eſt, ſed longè mirabilius tactu, viſuque fuit, pulſus illico majores, citatioreſque redditos, mox artus recaluiſſe, faciemque coloratiorem factam, ut, magnâ ſubortâ febri, clavum illum quaſi avulſum Patiens perſenſerit. Unde continvatis quà fluidis, quà oleoſis, quà diaphoreticis, brevì

vì depuratum vidimus nervoſum, ac ſanguineum liquidum partim per ſudorem, partim per diureſim. Vivit autem nunc Senex, æquè valens corporis, atque animi viribus.

XIX. Hæc autem hiſtoria apertè nos admonet, convulſiones cordis oleoſis, cardiacis, ac diaphoreticis ſtatim eſſe curandas. Laxatis enim olei ope nervorum, fibrarumque criſpaturis, acre liquidum, cardiacorum uſu mobilius, ac volatilius redditum, facilè à locis, ubi interceptum eſt, poteſt refluere, ac circulanti ſanguini ita remiſceri, ut tandem, excitatâ febri, extra corpus detrudi poſſit; cùm verum ſit, quod ſcriptum nobis reliquit [a] Hipp. – *melius eſſe convulſioni febrem, quàm febri convulſionem ſupervenire* –. Sed rurſus ad inſtitutum. *Ætiologia.*

[a] 2. aph. 26., & in coac.

XX. In reliquis, ubi malum hæret præcordiis, & eroſionis metus longiſſimè fuerit, identidem ſunt præſcribenda cardiaca, atque etiam, ſi opus fuerit, quæ ex ſtibio, viperâ, mumiâ, & myrrhâ conflantur. *Cardiaca præſcribendi ratio.*

XXI. Deinde, ſi convulſiones exiſtant epilepticæ, vel ad epilepticam indolem

V ten-

tendentes, perpendendum erit, num affectio ſympathica ſit, ex infernorum ſcilicet viſcerum, totiuſque corporis conſenſu, an idiopathica ex peculiari cerebri paſſione. Etenim juxta hanc diviſionem præſervatorias curationes inter ſe admodum diverſas inſtituemus. Siquidem, ſi fuerit vitio ſtomachi, & ſuccorum inteſtinalium, omni alio pharmaco melior eſt vomitio, & alvi dejectio, per epicraſim inſtituta. Hinc paſſim Romæ occurrunt multi, qui, licèt ſcotomiis, aliiſque capitis affectionibus, fortes apoplexias, ſubitaſque neces minitantibus, jamdiu tentati fuerint, ſenes adhuc decrepiti, ope Pil. de ſuccin. Craton., de ſpumâ chalybis, vel alterius benigni ſolventis, identidem intrà annum repetitorum, ſervantur incolumes.

*Sympathicæ epilepſiæ vomitus, & epicratica purgatio proficua.*

*Hæc Romæ præſertim ab apoplexiâ præſervat.*

XXII. Si verò hujuſmodi affectiones à recurrente vaſorum ſanguineorum plenitudine, aut ſuppreſſis hæmorrhagiis dependeant; tunc phlebotomiæ interdum inſtituendæ, ac fonticuli etiam admovendi erunt. Atque hinc rectè Hippocrates in Coac. ſcripſit. – *Fluxiones ex naribus largæ, per vim ſuppreſſæ,* *quan-*

*Phlebotomia quando celebranda.*

*quandoque convulſionem provocant : Venæ ſectio ſolvit.*

XXIII. Quòd ſi tandem eadem mala, ob inductam in cerebro labem, idiopathica etiam evaſerint; nullo certiùs remedio extra limites inferendæ ſubitæ mortis contineri poſſunt, quàm, ſi æger, abſtemius ſpontè factus, ſpecifica antepileptica, ſale præſertim volatili animali conſtantia, ac laudabile vitæ regimen perpetuò adhibuerit. Nec meditata ſolùm, ſed diù etiam experta in præſens referimus: quibus ſanè obſervationibus ipſius quoque [a] Hippocratis conſilium accedit; is enim agens de inſomniis, comitialem morbum, aut inſaniam ſignificantibus, monet, ut *ægri cibis paucis utantur; ita namque integram valetudinem ſibi totâ vitâ comparabunt*. Idemque Hipp. in contumaci capitis dolore, ac vertigine laudat victum fluidum, & potum aquæ.

*In epilepſiâ idiopathicâ abſtinere à vino magnum remedium.*

[a] Lib. de inſomn. n. ult. de affect. n. 2.

XXIV. Denique circa congeſtiones nonnulla breviter diſſeremus; eæ namque, cùm nimio, varioque inter ſe diſcriminentur intervallo, Medentium ingenia, uſu firmata, ad capiendum conſilium in arenâ dumtaxat movere poſ-

*In congeſtionibus curandis Medicus ſit prudens.*



Digitized by Google

ſunt. Prudens itaque Medicus in horum morborum curatione ita ſe exerceat juxta [a] Hippocratis oraculum, *ut proſit, aut non noceat.*

*a 1. epid. ſect. 2.*

XXV. Cùm verò congeſtiones modò imo in ventre, modò in medio, modò in capite fieri, contingat, nunc ab humoribus lentis, & craſſis, nunc à ſalinis, & acribus, nunc demum à mixtis, & ſulphureis, ſive cum ſuppuratione, ſive ſinè eâ; equidem arbitror, ſummo Curantium judicio, atque experimento opus eſſe, ut hiſce in caſibus recta præſervandi ratio inſtituatur. Illud ſolummodo in genere admonemus, ſcilicet ubi viſcidum, ac ſalinum phlegma in aliquo ventre peccaverit; conducere rhabarbarata, aloetica, chalybeata, ſtibiata, potum Thè, vel Coffè, therebinthinata, aliaque gummoſa, tenacitatem ſolventia: ubi ſalinum, & acre; juvare aquea, ſuccos herbarum epiceraſticarum, diluta, lactiginoſa, oleoſa, & alkalica, partim fixa, ut ſtibium diaph., partim benignè volatilia: ubi tandem vitium eſt in ſulphureis, mixtiſque principiis; mixta remedia utilia fore, præſertim ſi de occul-

*Juxta congeſtæ materiei indolem prophylaxis dirigenda.*

Digitized by Google

cultâ dubitetur ſuppuratione, quo in caſu, poſt phlebothomiam, initio morbi, ſi res poſtulat, inſtitutam, ea uſurpanda, quæ pus, ac ſaniem dulcificare, quæ ſphacelum arcere, quæ demum, rupto abſceſſu, ulcus abſtergere, & conſolidare valent. Eligat itaque peritus Medicus ex omnibus optima, & unicuique adhibeat in re tunc præſenti, quæ magìs congruunt, illius apud [a] Celſum conſilii perpetuò memor, nempe – *nulla re magìs laborantem juvari, quàm tempeſtivâ abſtinentiâ: – ſemper quærentes, non quid Medico liceat, ſed quid ægro ſalutare ſit, cui vehementer nocet, quoties in ejus, quod aſſumitur, vel tempore, vel modo, vel genere peccatur.*

[a] Lib. 2. cap. 16.

*Opportunum Celſi conſilii.*

XXVI. Sed, ſtante eâ diviſione, quam circa initia hujus capitis poſuimus, ſupereſt, ut agamus etiam de methodo prophylacticâ dirigendâ ad homines externis morbis valetudinarios. Cùm verò certum ſit, apud iſta corpora idcirco ſartam, tectamque internorum viſcerum texturam ſervari, quia pravi humores ad artus cum podagrâ, aut quovis tumore, vel ad ſuperficiem corporis cum ulcere, fiſtulâ, ſcabie, vel alio morbo de-

*Externi morbi diuturni valetudinariis potiſſimùm utiles, & cur.*

Digitized by Google

*Quomodo tractandi, ne ſubitò perimant.*

decumbunt; profectò univerſa ratio præſervationis à ſubitis malis, ſubitas neces inferre valentibus, verſari videtur circa auxilia, quæ primò ſervare poſſunt firmum, validumque fibroſum rete internorum viſcerum, & vaſorum, unàque ſimul congruam fluxilitatem, & craſim liquidis conciliare; unde quidquid intus redundat incongruum, atque impermiſcibile, excitato confeſtim ſtimulo, foràs utiliter propellatur, ac veluti deſpumetur; deinde, quæ ſimul tollere valent in affectis externis locis ea impedimenta, quæ aliquando objici poſſunt ipſis ſalutaribus fluidorum propulſionibus, remoris, ac ſecretionibus.

*Methodus generalis præſervativa.*

XXVII. In genere itaque juvabunt alimenta optimi ſucci, jura interdum viperata, ſerum cum infuſione rad. chinæ, & alia ejuſmodi, quæ robur ſolidis partibus, benignamque volatilitatem, ac fluxilitatem humoribus tribuunt; ſimulque ea omnia, quæ partes externas ita tuentur, ac diſponunt, ut nullo callo, nullâve, etſi minimâ, conſtipatione laborent, per quam internis niſibus renitantur. Nunc ad Artis Magiſtros, non

ad

Digitized by Google

ad ſolos Candidatos ſcribimus ; ea propter non pudet brevia tantùm medendi monſtrare compendia . Illud tamen docuiſſe, nunquam ſatìs contenti erimus , fruſtra nempe præſervandi rationes à ſubito interitu illum foris quærere ex medicaminibus, qui domi ſpreverit diætam. Cætera Medicinæ præſidia interdum fallunt ; unum nullo unquam tempore feselliſſe, comperimus, rectum ſcilicet vitæ regimen, ac tranquillum, infractumque in bene , vel malè valentibus animum : jis enim duobus veluti axibus univerſus ferè præſervationis orbis à ſubitaneâ morte , circumagitur . Neque profectò hâc ſuper re decipi nos patitur Divinum illud Monitum apud [a] Lucam , ubi Chriſtus Diſcipulos admonet, ut ſobriè vivant , & à gravibus temperent Mundi curis , ne ſubitis mortibus cauſas exhibeant . – *Attendite vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapulâ , & ebrietate , & curis hujus vitæ , & ſuperveniat in vos repentina illa dies : tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ .* Sileat igitur Medicus , ubi Deus ipſe loquitur : & quidem ſinè parabo-

*Diæta cæteris remediis præſtantior.*

[a] cap. 21. 34.

*Recto vivendi regimini animorum tranquillitas jungenda, ex Divino etiam Oraculo.*

rabo-

Digitized by Google

rabolis certiores prophylaxis rationes nos edocet, quas certè, annuâ calamitate docti, ut mox videbimus, vivâ deinceps memoriâ retinere debebimus.

XXVIII. Sed hujus firmum calamitatis finem Romæ nondum videmus. Etenim, cùm à primâ noſtrorum Librorum editione uſque ad tertiam, quæ nunc paratur, integer jam fluxerit annus, funeſtâ rurſus, plurimâque repentinæ mortis imagine perterritos populos cernimus, qui mala ſua interim dolent, lugentque, ſed cauſas, palam à SALVATORE noſtro propoſitas, nec agnoſcunt, nec vitant.

*Finis Primi Libri.*

Digitized by Google

# DE SUBITANEIS MORTIBUS

In particulari.

LIBER SECUNDUS.

Digitized by Google

# DE SUBITANEIS MORTIBUS,

## ILLARUMQUE CAUSIS,

## Quæ decurſu annorum 1705. & 1706. ROMÆ CONTIGERUNT.

# LIBER SECUNDUS.

*QUoniam Libro præcedenti quæſitum eſt in genere, quid ſubita mors? quales ſint ejus cauſæ? quæ etiam ſigna, quæque ad illam avertendam remedia, ut vires noſtræ tulerunt, oſtendimus; jam hinc ſupereſt, ut ſecundo Libro agamus in particulari de jis ſubitaneis interitibus, qui Romæ per hæc tempora crudeliter deſævierunt; daturi etiam exempla tum ſubitarum ægritudinum, quæ vagabantur, tum nonnullorum, qui eiſdem correpti vel evaſerint, vel deceſſerint; admonentes interea, ut ad memo-*



Digitized by Google

*riam revocentur ea, quæ in limine prioris Libri Benigno Lectori propoſuimus circa rationem, propter quam de Subitaneis Mortibus ſcribere decrevimus.*

*Quæ-*

Digitized by Google

*Quæritur, an cauſa repentinarum mortium, quæ Romæ per hæc tempora graſſatæ ſunt, fuerit univerſalis, & ſimplex, an verò particularis, & mixta.*

## CAPUT I.

ACturi nunc de mortibus, quibus hoc anno tot Romani Cives, atque Incolæ repentè ſublati ſunt, inveſtigabimus primo loco, communis ne, an particularis earundem cauſa latuerit in ſingulis.

II. Nos minimè fugit, Libitinam certis annis, annorumve tempeſtatibus, non modò in hominibus, ex peſtilenti aeris conſtitutione proficiſcentem, ſed vel in brutis animalibus, pecudibus nempe, capris, aliiſque, ex certâ aeris labe, vel aquarum, & paſcuorum defectu, vitiove natam, improvisò debacchari. Unde aureis verſibus cecinit [a] Fracaſtorius noſter:

*Mors repentina quandoque graſſatur in homines, & bruta ex cauſis univerſalibus.*

[a] In ſyphil.

*Inter-*

Digitized by Google

*Interdum pœnas animalia ſola dedere,*
*Aut multa, aut certa ex ipſis: memini ipſe malignam*
*Luxuriem vidiſſe anni, multoque madentem*
*Autumnum perflatum auſtro, quo protinus omne*
*Caprigenum pecus, è cunctis animantibus unum,*
*Corruit:*

*Repentinæ mortis, Romæ nunc graſſantis, cauſa non fuit univerſalis; ſed cuicumq; morienti particularis, & propria.*

III. In noſtrâ tamen hypotheſi probabilius ducimus, cauſam improviſarum mortium non unam omnibus abſolutè communem, ſed ſingulis morientibus majori ex parte propriam extitiſſe. Quod ſanè tametſi præ me ratiocinando ex ſignis facilè fuerim aſſecutus; tum verò mihi tandem placui, cùm internum animi ſenſum externo ipſius rei teſtimonio, atque certâ experimentorum fide comprobatum intellexi. Ex ſequentibus enim apparebit, peculiares, ſuaſque præcipuas cuique cauſas, ſeu immaturæ diſſolutionis, ut ita dicam, ſemina paulatim genita, denique confeſtim ad actum fuiſſe revocata, juxta illud [a] Hippocratis: *non enim*

[a] 1. de diæt. n. 3.

Digitized by Google

*enim repentè morbi hominibus accidunt ; ſed, paulatim collecti, acervatim apparent.*

*Hujus diſcriminis cauſa non fuit uſus tabaci.*

IV. Quid enim tabacum incuſabimus; cùm nonnulli, quorum nares nunquam pulvis iſte inquinaverat, ex tempore viderint occaſum? Quid veneficas ex terræ motibus exhalationes; cùm ji præcipuè à ſubitaneis tum morbis, tum mortibus ſe feliciter vindicaverint, qui diruta ex ſoli convulſionibus loca potiſſimùm incoluerunt? Quid chocolatæ abuſum; cùm qui à triginta jam annis nunquam non ſemel, ſæpe bis in die (quos inter Cl. D. Placentius Medicorum Urbis Senior, & octogenario major, ut & ipſe ego, quinquaginta tres annos natus, cætera cauti, præſertim in vini uſu, numeramur) hoc potu uſi ſunt, nullo, vel minimo, per hæc tempora ſymptomate laboraverint; contra inter eos, qui nunquam illam deguſtarunt, multi ſubitò interierint? Quid tandem ignotum aeris venenum culpabimus; cùm extiſpicia varias, notiſſimaſque cauſas rerum naturam diligenter quærentibus apertiſſimè detexerint?

*Non exhalationes ex terræmotibus.*

*Non chocolata, quæ potio eſt ſalubris, dummodo quis vino non abutatur.*

*Neque venefica vis aeris.*

V. Firmant verò ſententiam de particu-

*Autboris experimenta de causâ particulari in ſingulis morientibus.*

ticulari in ſingulis cauſarum concurſu præteriti etiam eventus illorum, quos vitam cum improvisâ morte commutaſſe, novimus, priuſquam à SUMMO PONTIFICE imperatum nobis fuiſſet, ut anatomico cultro ſepulta veritas erueretur. Etenim nonnulli ſublati fuerunt cum indiciis ſubitò diſrupti ſanguiferi canalis, quem jam varix, aut aneuryſma intrà thoracem, vel abdomen debilitaverat; Multi per fortiſſimam apoplexiam, ob interceptum, effuſumque ſanguinem intrà cerebrum; Alii demum ex magno, ac pertinaci præcordiorum ſpaſmo, aut paralyſi, vel ex obſtructione viarum cordis, magnorumque vaſorum; unde, impeditâ ſanguinis trajectione à corde tum in pulmones, tum in cerebrum, vitale illud, ac reciprocum iſtorum viſcerum commercium ex tempore interciderit. Hoc verò perpetuò eſt obſervatum, ultimum nempe diem repentè à nemine, quod ſciam, viſum fuiſſe, qui labe aliquâ fluidorum, viſcerum, aut ſaltèm canalium à multo tempore non laboraverit, quique ſimul non fuerit ſtationarius miles in caſtris Bacchi,

*Nemo, niſi valetudinarius, & intemperās, repentè periit.*

aut

aut Veneris. Quibus ſit, ut ipſe crediderim, repentinos hoſce caſus non ſanorum plerunque mortes, ſed quamdam veluti humanæ naturæ deſpumationem, ſeu malam criſim extitiſſe apud illos, qui jamdiu palam, vel ſecretò, infirmâ, atque ægrâ valetudine fuerunt: criſis enim apud Theoricos definitur, ſubita mutatio in morbis ad ſalutem, vel ad mortem.

*Subita mors in jis ad malam criſim referenda.*

---

*Demonſtratur, inæqualem aeris conſtitutionem fuiſſe etiam inter cauſas vagantium repentinarum mortium.*

## CAPUT II.

LIcèt dubitationi non ſit locus, quin celeres interitus, Romæ hoc præſertim tempore contingentes, magnâ ex parte prædiſpoſitis vitio aliquo corporibus debeantur; negare tamen non auſim, univerſalem aliquem cœleſtium, terreſtriumque cauſarum concurſum ad hunc producendum effectum convenire potuiſſe, ſinè



Digitized by Google

quo forſitan, nec adeò numeroſa, nec adeò ſubita morientium clades contigiſſet. Hic autem concurſus, ut mea fert opinio, acceptus potiſſimùm referendus eſſe videtur præteritarum indoli tempeſtatum, quas nemo, vel lippus, non vidit exceſſu quodam intemperierum inſidias ægris jam corporibus facilè paraviſſe. Præceſſit enim æſtas fervida, atque admodum ſicca; deinceps autumnus auſtro plerunque comitante, pluvioſus; tandem hyems viguit inæqualiter borealis, & auſtralis. Unde nil mirum, ſi tum ſolida fuerint enervata, tum ſales acres, parteſque ſulphureæ à præfervidâ elapſi anni æſtate (balſamico-oleoſa, aquoſaque, & dulcia ſanguinis componentia plùs juſto diſſipante) intrà Romanorum corpora prædominium acceperint; indèque propter novos motus, & aculeos, periculum valetudinariis ſtruxerint improviſum. Nihil enim tam promptè ſubitaneam mortem ſolet inferre, quàm ſi momentum impetus, adauctum in fluidis, debilitatam alicubi reſiſtentiam ſolidarum partium majoris uſus conſtanter urgeat, ſuperetque.

*Conſtitutiones aeris quomodo ſubitam mortem ſollicitaverint.*

*Impetus liquidi auctus intrà ſolidum minùs reſiſtens ſæpe funeſtiſſimus.*

II.

II. Quæ autem, & quot ſint mala, quæ nobis obveniunt ex auſtro, & aquilone, clarè, ac ſapienter edixit [a] Hippocrates per hæc verba: – *Cerebrum ab auſtris quidem ſolvi, & humectari, & venas laxiores reddi. Ab aquilonis verò flatibus, quod ſaniſſimum eſt in cerebro, compingi, quod verò morboſiſſimum, ac humidiſſimum eſt, excerni, & forinſecus circumalluere.*

[a] De morb. ſacr. n. 15.

*Auſter, & aquilo noxii ex Hipp.*

III. Cùm verò experiamur, fermentativas particulas, ex Africâ per auſtrum advectas, deteriores reddi exoticorum quorundam miſcellâ principiorum, quæ ex Romano ſolo paſſim elevantur; exindè facile eſt cauſam invenire, cur multigeni, intrà prædiſpoſitam Civium corpora collecti, erodentes humores, certo quodam tempore deliteſcere, ſenſimque vires, per aeris pabula captare potuerint; ut denique, accedente noviſſimâ quâcunque causâ, necem ſubitò intulerint, inductâ, poſt novum, extraneumque motum, ſanguinis plerunque coagulatione, quam ſeroſitatum defluxio, atque exundatio conſequitur, & de quâ, egregiè idem locutus eſt [b] Hippocrates, cùm modum ex-

*Romæ auſter deterior.*

*Sanguinis coagulationem ſeroſitatum exundantia conſequitur.*

*Hipp. de lacte coacto exemplum.*

[b] 4. De morb. n. 26.

ponit, quo ea operantur, quæ ex cœlo nobis obveniunt, ſi ad ea, quæ in corpore genita ſunt, corrigenda inepta fiant. Sales enim acres, ab autumni pluviis in fluorem noſtris in corporibus evecti, nunc per aquilonares ventos perſpirare impediuntur, nunc verò ab auſtro ulteriùs fuſi, tranſverſim aguntur.

IV. Interim, ſi cupis modum, quo aer extraneis, atque humanæ naturæ infenſis particulis imbuitur, & quomodo interdum per ventos huc, illucque transferatur, plenè id habebis à [a] Franc. de le Boe Sylvio.

[a] In append. ad prax. tract. 10. n. 124. & ſeq.

---

*Adducuntur quædam argumenta ad confirmandum, non ex univerſali ſolùm causâ tot hominum diſcrimina Romæ contigiſſe, ſed ob morboſas eorundem corporum diſpoſitiones, ac potiſſimùm intemperantiam.*

## CAPUT III.

Tria hìc obſervatione digna ulteriùs occurrunt, quæ veris, obſcuriſque detegendis ſubitaneorum interituum hujus anni cauſis novam lucem afferre poſſunt. Primum

mum illud eſſe videtur, quòd nemo fortè Nobilium, aut eorum, qui frugi vitâ utuntur, utcunque ſubitaneis morbis correptus, vitam ſubitò deſeruerit: certiſſimo quidem argumento, non à ſolo aeris vitio vagantes Romæ morbos, morteſque ortum habuiſſe; cùm affectus olim apud Leidenſes epidemicus, quem tantâ ſedulitate deſcribit [a] Sylvius, & cujus omnem cauſam ex aere, tunc plurimùm à ſtatu naturali recedente, derivandam putat, priùs & graviùs in opulentiores, ac delicatiores; ſeriùs, & quodammodo leviùs in plebem ſævierit.

*Nobiles, & temperati repentinam mortem non ſubjerunt.*

[a] loc. ſup. cit.

*Contrarium accidit, ubi ex cauſâ univerſali, teſtante Sylvio.*

II. Et quanquam hiſce temporibus nonnulli ex divitibus apoplexiâ tentati fuerint, adhibitâ tamen opportunâ medelâ, vel ipſi utcunque convaluerunt, vel ſyderationes in paralyſes conceſſerunt. Scilicet quia illi, qui euchymis cibis nutriuntur, qui ab aeris inclementiâ ſe ſe tueri magìs valent, quique tandem, quoties morborum prodromis pulſantur, ſtatim ad remedia confugiunt, vel certè cautiùs deinceps in vivendo ſe gerunt, talem vitioſorum fluidorum cumulum in ſe minimè congerunt, qui ſubitam ne-

*Divites, utcunque repentinis morbis correpti, præ pauperibus feliciùs liberati ſunt, & cur.*

Digitized by Google

necem afferre poſſit. Contra verò pauperes, quemadmodum facultate deſtituuntur deligendi cibum, & potum, cæteraque ad valetudinis tutelam neceſſaria, ita paſſim ad vulgaria, minùſque plerunque ſalubria, ſunt incontinentiores divitibus; quinimo, quoties alicujus morbi præludiis tentari incipiunt, curationes vel nullas ſuſcipere, vel prorogare ſolent; idcirco in iis tum ſolida, præcordia præſertim, ac cerebrum, ſenſim labefactantur, tum fluida ad morbos inferendos, ac prædictis in partibus manifeſtandos, magìs exacuuntur.

*Lethalis hæc labes mares potiùs invaſit, quàm fœminas.*

III. Alterum deinde, quod accuratè pariter, diligenterque conſiderandum venit, verſatur circa ſexum, in quem iſtarum decurſu tempeſtatum mors furere viſa eſt; hæc enim, ut contra maſculinum hoſtiliter agere, ita ſequiorem ſexum ferè intactum relinquere conſuevit; ut vix paucas fœminas ſubitò mortuas ad hunc uſque diem numerare potuerimus. Conditio ſanè morboſæ conſtitutionis, perſimilis alteri, quæ Juſtiniani tempore obſervata fuit Conſtantinopoli, ubi popularis quidam morbus

Apud Sigonium de occidēt. imper. lib. 20.

ma-

mares magìs, quàm fœminas, abſumebat. An quia mulieres, catameniis repurgatæ, morbificum apparatum ad irritativam, ac ſuffocativam plenitudinem colligere, utplurimum prohibentur? An ſatiùs, quia fœminæ, etiam plebejæ, temperantiùs vitam plerunque ducentes, minus pravorum ſuccorum ſolent congerere? *Unde hoc.*

IV. At illud certè ex duabus hiſce obſervationibus præcipuè conſtare videtur, continentiores in cibo, potu, ac Venere à ſubitaneis mortibus ſe huc uſque opportunè vindicaſſe; incautos verò, luxurioſos, vinoſoſque improviſis facilè mortibus concidiſſe.

V. Poſtremum ſedulò animadvertendum illud ſanè eſt, quòd morbi, unde ſubitæ mortes ortæ ſunt, non ſemper jiſdem ſignis, ac ſymptomatibus ſtipabantur. Etenim aliquibus, per aliquot ante mortem dies, effloreſcentia ad cutem apparuit, quâ repulsâ, fortiſſima ſupervenit apoplexia: ut contigit in primo caſu illorum, quos poſt repentinam mortem diſſecuimus. Nonnulli verò diu ante necem, anhelitu, palpitatione, verti- *Non unicum ſignorum genus improviſò morientibus præivit.*

tigi-

Digitized by Google

tigine, atque animi deliquio ſæpiùs correpti, morte tandem occubuerunt; ut in V. caſu obſervatum. Vidimus etiam non paucos, qui, præcurrente thoracis, totiuſque corporis convulſione, ſublati fuerunt, quorum numero quartus caſus accenſendus. Nec defuerunt qui, ex affectione ferè ſcorbuticâ diù valetudinarii degentes, propter improviſam tandem choleram, ſubitò conciderunt: quemadmodum accidit cuidam Sacerdoti Societ. Jeſu. Denique, ut paucis concludamus, non eadem omnibus communia ſigna mortem præceſſerunt, & comitata ſunt: ut jure optimo fateri poſſimus, Libitinam ex peculiari uniuſcujuſque corporis diſpoſitione, magnâ ex parte, in Romanos graſſatam fuiſſe. Contra verò fit, cùm ex principio dumtaxat univerſali frequentes interitus in genus aliquot animalium debacchantur; tunc enim eadem ſemper indicia, actionumque læſiones, mortem præcurrunt. Hinc legitur apud [a] Sylv., anxietates, nauſeam, ac vomitum ſuos in primis ægros invaſiſſe, & apud [b] Fracaſt., de caprigenâ clade canentem, ſigna futuræ mortis tuſſi-

*Si ab univerſali cauſâ eadem continuò ſigna adſunt.*

[a] loc. ſup. cit. n. 4., & ſeq.

[b] In ſyphil.

Digitized by Google

tuſſiculam ſemper præceſſiſſe; quemadmodum anthraces, & bubones peſtem comitantur, & prodromi necem plerunque denunciant.

VI. Accedit etiam, morbos, qui elapſis menſibus ad mortem iter fecerunt, nullâ contagione in affines, neceſſarios, aut in cadaverum ſectores migrare obſervatos fuiſſe; indicio ſanè non obſcuro, nullum in jis viguiſſe virus, per quod de ullo epidemico, aut peſtilenti morbo fuerit metuendum.

VII. Novum ſanè non eſt, per intervalla, incertis reditibus, hîc illic ſubitaneas mortes ex ſporadicis morbis in terris apparere. Etenim non ſolùm Venetiis, ſed & Romæ, aliiſque Italiæ Civitatibus id contigit circa initium præteriti ſæculi, ut narrat [a] Dom. Tirillus in tractatu, quem de hoc eodem argumento illâ occaſione ſatìs diligenter conſcripſit. Pariter Romæ ſub Alexandro VII. cadavera quàmplurima repentè mortuorum adaperta fuerunt à Joh. Trullio Chirurgo Pontificio, qui, ferè in omnibus, vaſorum vel intrà pectus, vel intrà cranium rupturas comperit. Novimus etiam,

*Plures Italiæ Urbes hac peſte aliàs correptæ.*

[a] De cauſ. ſub. mort. c. 1.

iam, ante multos annos in Hetruriâ crebrò homines ex tempore mortuos, quorum cauſæ modò in cerebro, modò in thorace deprehendebantur, de quorum ſanè caſibus locutum fuiſſe, arbitramur Doctiſſimum Carolum [a] Fracaſſati. Ut proindè ſeriò quidem de ipsâ morte cogitare, ſed mirari minimè debeamus, eandem non raro, noſtris præſertim ab erratis, & pathematibus accerſitam, clanculum, ac feſtinanter ad nos venire.

[a] In differt. epiſt. de cereb.

---

*Numerus morientium in Urbe forſitan hoc tempore minor extitit, licèt major viſus ſit, ex quo conſveti, & exitiales Romæ morbi nequaquam vagati ſunt.*

## CAPUT IV.

IN admirationem certè nullam peritiores Medici hoc anno duci deberent ex paulò frequentiori ſubitò morientium numero in Urbe, ſi adverterint, decurſu ſuperiorum tempeſtatum, æſtatis nempe, autumni, atque hyemis, in quibus crebrò repentini homi-

*Graſſantibus repetinis mortibus, cæteri morbi, & mortes Romæ minùs frequẽtes.*

minum interitus contigerunt, morbos Romæ conſvetos, malignas nimirum febres, pectoris inflammationes, aut pravas dyſenterias, ex quibus multi ſolent decedere, rariſſimè invaluiſſe; ita ut in hanc noſtram temporis conſtitutionem illud aptè quadrare videatur, quod [a] Hippocrates ætate ſuâ obſervavit, – *Reſolutiones* nimirum *cœpiſſe ex ſyderatione; & quidem multos ex ipſis ſubitò mortuos fuiſſe, cùm morbus eſſet ſatìs popularis. Cæterà incolumes degebant*. Unde, ſi ſubitaneæ hujus anni mortes, quæ ferè ſolæ contigerunt, conferantur cum vulgaribus mortibus ſingulorum ex ſuperioribus annis; credimus, hoſce interitus longè pauciores inventum iri. Quid igitur erit cauſæ, cur nunc miremur, ploremuſque (animarum excepto periculo) fortè non adeò magnum numerum acutiſſimorum morborum, repentè interimentium, cùm plures mortes ex aliis, ac potiſſimùm acutis, ægritudinibus, elapſis annis, impavidi, ſiccisque oculis ſpectaverimus? Ille ſiquidem pravorum humorum apparatus, qui aliàs ex æſtate pluviâ, ac pravitate fructuum noſtris in corporibus

[a] 1. epid. conſtit. 3.

*Ratio adducitur.*

paulatim colligi, & vi cujuſdam fermentationis, ac penè putreſcentis liquidi, ægros longiori viâ de medio tollere conſvevit; hoc anno in ſe ipſo magìs exiſtens, ut [a] Hippocr. dicto utar, promptior ad motum, & potentior hîc ad ſolida irritandum, ſcindendumque, illic verò ad fluida coagulandum, aut diſſolvendum, redditus fuit, proindèque adeò præcipites mortes valuit inducere. Exindè animos ad ſpem ereximus, tranſacto verno æquinoctio currentis anni 1706., per novam aeris, ac terraquei orbis refermentationem, perque ventorum permutationem, morboſum iſtum particularum concurſum, & commixtionem variatum iri: unde lethalis, ac mortifera conſtitutio de ſuâ remitteret ſævitie, Deoque omnium bonorum largitori debitas laudes ſoſpites, hilareſque redderemus. Quod ſanè præſagium exitu maximè comprobatum nunc cernimus, cùm opus hoc, in lucem edituri, expolimus. Sed quoniam nullum in terris bonum abſque mixturâ mali hominibus accidit; indè fit, ut, dum de felici, fauſtâque repentinarum ceſſatione mortium jure gaude-

[a] De vet. Med.

*Ceſſatis repentinis mortibus, conſveti morbi, & lethales recrudueré.*

demus, & gratulamur, ſub fœnore beneficium nos accepiſſe, præſentiamus. Nunc enim, vel decurſu æſtatis, acutas febres, lethaleſque peripneumonias ſævire, paſſim intuemur, dolemuſque.

---

*Quæ remedia hoc anno jis maximè profuerint, qui à ſubitaneis morbis, repentinas mortes minitantibus, evaſerunt.*

## CAPUT V.

CUm ſatìs pateat ex antedictis, Nobiles, ac divites, immo, ut poſtea reſcivimus, nonnullos etiam pauperes, ſubitaneis morbis tentatos, hoc anno convaluiſſe; non dubitamus, quin pius, utiliſque noſter futurus ſit labor in jis diligenter recenſendis, quibus jidem ex repentinis mortibus evaſerunt. Ita Medici, recurrentibus aliquando conſimilibus anni conſtitutionibus, firmata novis experimentis invenient præſidia, quorum miniſterio ægri vel à morte penitus vindicari, vel ſaltèm tantum temporis lucrari valeant,

ut

Digitized by Google

ut anteactæ crimina vitæ ( quod cardo rei eſt ) ſacrâ exomologeſi expiare, ſeque Numini commendare poſſint.

II. Et quoniam ægri, qui morbi vim ſuperarunt, quantùm nobis innotuit, apoplexiis cum epilepticis, vel ſyncopalibus affectionibus, abſque ullâ tamen vaſorum ſciſſione, aut rupturâ, potiſſimùm tentati fuerunt; idcirco rationi conſonum ducimus, ea nunc remedia indicare, quæ in hac temporis conſtitutione plerunque utilia deprehendimus.

*Sanguinis miſſio variè adminiſtrata utilis fuit.*

III. Inter ea verò, quæ maximè proficere viſa ſunt, primas tenuit ſanguinis miſſio ab jis, vel illis venis, juxta ægrorum vires, conſvetudines, aut ſuppreſſas evacuationes celebrata, & præſertim in viris plethoricis, nunc ex brachio, nunc ex pede. Ubi advertimus in affectionibus apoplecticis, cum reſolutione alterius cruris, nos proficuam expertos fuiſſe venæ ſectionem ex ſyderato talo inſtitutam; fluente enim ex affecto membro ſanguine (quemadmodum in coxendicis doloribus apertâ ſub eodem poplite, vel in crure, quam iſchiadem vocant, venâ, feliciter contingere, ob-

*Eadem in ſyderatâ parte proficua.*

ſer-

ſervamus ) faciliùs, ac fortiùs dimoveri poſſunt obſtacula convulſionum, & obſtructionum, quæ in vaſis læſæ partis ſpinalis medullæ, vel cerebri baſis pertinaciter hærent. Quibus autem hæmorrhoides, aut menſtrua reſtitiſſent, juvit ex pede, atque ex podice. Tandem iis, in quos vel ob provectiorem ætatem nulla inferiorum venarum ſectio cadebat, vel poſt alias phlebotomias contumax adhuc ſtrangulatio ſanguiferorum cerebri, & ſinuum duræ matris perſeverabat, miram opem tulit aperire venas frontis, naſi, & præſertim jugulares, ex quarum profectò ſectione, quanquam ſerò, & citra prævias diſpoſitiones tentatâ, aliquam tamen utilitatem reportavit Illuſtriſſimus Præſul Rota, qui, cùm acutâ febri, & ſuffocativâ pulmonum plenitudine correptus eſſet, indicatæ miſſioni ſanguinis ex cubiti flexurâ (dolente nobiſcum D. D. Bernabeo diligenti ejuſdem Phyſico) omnino repugnavit: perperam enim hâc de re aſtra ſibi familiaria conſuluerat: factâ poſtmodum ad cerebrum metaſtaſi, in apoplexiam incidit, & cùm minùs ſperaretur,

*Jugulares, naſi, &c. venæ quando aperiendæ.*

ut

ut reſiperet, inciſâ jugulari, ſtatim ad ſenſuum officia rediit, & ſuæ compos mentis multas horas pro ſalute animæ conſecutus fuit; licèt, eâdem pulmonum affectione redeunte, tandem deceſſerit.

*Quare utile ſit per hæc vaſa ſanguinē mittere.*

IV. Rationes verò, ob quas phlebotomia venarum frontis, naſi, ac potiſſimùm jugularium in calidis, & ſanguineis cerebri affectionibus juvare plurimùm ſolet, petendæ forent ex Prodromo noſtro, quem Antepraxim Morborum Cerebri inſcribimus; ubi ſolidè agimus de peculiari ſanguinis itu, redituque per cerebri vaſa, ac de ſublimi artificio, quo inſtrumenta reſpirationis, juxta indigentias œconomiæ animalis, augent, vel minuunt impetum, ac proindè molem ejuſdem ſanguinis, tum propellendi per arterias carotides, quæ non rectâ, ſed obliquâ, atque inflexâ viâ cranium perforant, tum reducendi à jugularibus, quæ non ſparguntur per cerebri ſuperficiem, ſed mediis duræ matris ſinubus ſanguinem hauriunt. At enim verò, cùm hîc verſemur intrà limites propoſiti thematis, ſatìs erit indicare, prædictas venas, cùm per lanceolam ſcindun-

duntur, affatim illum, vel illi proximum ſanguinem profundere, quo intercepto, ſinus tument, cerebrum, ac nervi irritantur, ac premuntur; & quo expeditè recirculante, cor, & pulmo ultro gravarentur. Unde nil mirum, ſi, hoc particulari detracto cruore, liberior redditur ſanguinis fluxus in cerebro, & præcordiis, ac pro ratione virium cauſæ morbificæ, atque ægrorum tollerantiæ, iſtorum viſcerum convulſiones, ac ſanguinis quoque moræ impediuntur.

*Jugularium inciſio cerebri, & præcordiorum levamen.*

V. Similiter inciſio venarum ſublingualium in aphonis, detrahens ex affectâ parte ſanguinem, ea vaſorum tollit impedimenta, quæ nervos, inductâ preſſione, aut convulſione, ſuo privabant officio.

*Sublingualium in aphonis utilis.*

VI. Sed, redeundo ad hypotheſim, contulit porrò, meâ ſententiâ, in conſtitutione iſtâ repentinorum morborum ſanguinis miſſio, quia ægri, quorum mala inducias pro tentandis remediis Medico præbuerunt, inter illos numerabantur, qui utplurimùm probis alimentis, vino, & chocolatâ uſi fuerunt. Deindè verò, quia illorum non aſpernanda, inter

*Bene nutrita corpora feliciorem ſanguinis miſſionem ſunt experta; & cur.*

Aa ex-

externas, cauſa fuit præfervida, & ſicca æſtatis conſtitutio, quâ partes ſulphureæ, ſaleſque maximè acres intrà optimè ſaginatam ſanguinis maſſam exaltari ſolent, qui ſales, cùm ſolito majori momento motus quaquaverſum per corpus ferantur, minimo negocio intrà tendineo-muſculares membranas ſinuum duræ matris, ac magnorum vaſorum cerebri, aut præcordiorum impingunt, eaſque rigidas faciunt, & criſpant; exinde, anguſtatis ſanguiferorum finibus, & caudicibus, libera tollitur, apud hujuſmodi viſcera, ipſius ſanguinis circulatio, quam, vaſorum interceptionem, vocavit Hippocrates, qui ſanè primus hiſce in caſibus phlebotomiam laudavit. Et quidem hujuſmodi affectiones, ſi rupturâ vaſis caruerint, remittunt, miſſo ſanguine; quia nempe, ſciſsâ venâ, ſimul cum ipſo cruore, quâ data porta, illud effluit acre-volatile, quo detracto, ſtatim enervatur, ac debilitatur exceſſus momenti ejuſdem ſanguinis contra vaſa, quæ propterea exceſſu tenſionis, & criſpaturæ contra ſanguinem nitebantur. Inſuper, inducto per phlebotomiam no-

*Hippocratica vaſorum interceptionis modus exponitur.*

*Hanc phlebotomia tollit, teſte Hippocr.*

vo

Digitized by Google

vo in ſanguiferis ſpatio, fluidorum motus, & remixtio liberior redditur, indèque, ſi quæ alicubi urget canalium convulſio, vel obſtructio, rapiditate influentis liquidi remittit, ac cedit.

*Sanguinis miſſio Romæ non ſemper proficua.*

VII. Hîc ſeriò advertendum putamus, nos miſſionem ſanguinis non ſemper in epilepticis, apoplecticis, ac ſuffocativis affectionibus Romæ proficuam expertos fuiſſe. Idcirco, cùm in ſubitis caſibus noſtræ confuſio mentis pronum faciat iter ad errorem, caveant Medici, ne ad hujuſmodi, quod tantopere apud aliquos laudatum, expeditumque eſt, remedium, inconſultò deſcendant; cupientes enim ſanare ægrum, ut Celſi dicto utamur, ex tempore jugulabunt. Sedulò itaque videant, quæ ſcripſit[a] Hippocrates, circa indicationes, ac ſigna pro mittendo in jis caſibus ſanguine; & de tempore quoque, in quo convenit (quod circa mali principia eſſe ſolet) conſulant Doctiſſimos Viros [b] Ballonium, & [c] Martianum.

[a] De vict. rat. in morb. acut. n. 37. & ſeq.

[b] Lib. 2. conſil. in com. ad hiſtor. 1.

[c] In com. ad ſuprad. Hipp. textum.

VIII. Quid? quòd Romæ rariùs, quàm in montanis regionibus, venas incidere convenit, præſertim cùm vel corpora



Digitized by Google

ingluviei multigenæ, & impuræ ſunt aſſveta, vel æſtas viget pluvia, fructuſque ad perfectam maturitatem non pervenerint; quibus de cauſis Incolæ, ac Cives apparatum cumulant humorum, ex quibus plus impuri, quàm balſamici ſulphuris, plus lixivialium, quàm conveniat, ſalium redundat, & proindè laxata fluidorum compages ad eam prona fit craſim, quam Scholæ ſatìs barbarè putredinoſam, ac malignam appellant, in quâ quidem, propter volatilium partium penuriam, inſtar toxici eſſe ſolet Phlebotomi lanceola. E contrario, cùm optima præceſſit victus ratio, atque æſtas pertinaciter fervet, ac ſicca permanet, fructuſque abundant maturi, Romanorum in corporibus ſulphur, ſaleſque, etiamſi acres, volatiles tamen, ut ſuperiùs monuimus, evehuntur, & ſubſerviunt utilitati, ex ipsâ ſanguinis miſſione capiundæ; quemadmodum contigit hoc anno, quo etiam in ſenibus benè nutritis mirum, vel ipsâ docente naturâ, habuimus experimentum. Dominicus Vecchiottus ſeptuagenario minor, habitus plethorici, ac pinguis, ſeſſili vitæ deditus,

*In malè nutritis corporibus ſanguinis miſſio cur perniciosa.*

*In bene paſtis, quamvis ſenibus, eadem ſalutaris.*

*Mira ad hanc rem Dominici Vecchiotti hiſtoria.*

tus, & carnivorus, cùm per menſem circiter capitis gravitate, ac ſomnolentiâ adeò premeretur, ut in ipſo telonio, pecunias numerando, cedulaſque ſcribendo, dormitaret; unde jam in limine apparens timebatur apoplexia; nocte quadam improvisò largâ è naribus correptus fuit hæmorrhagiâ undecim librarum pondere, quâ ſanè non modò nullam ipſe paſſus eſt ſenſibilem virium jacturam, ſed ab illo capitis veterno, ſe valde levatum ſenſit; immo poſt 15. dies, aliis quatuor libris effluentibus, omnino vindicatum. Magnum profectò docilibus Eraſiſtrateis lumen, atque exemplum; ita ut Clariſſimus, parique doctrinâ, & facundiâ præditus, Jacobus Sinibaldus, in conſilium vocatus, visâ integrâ judicatione, nihil innovandum cenſuerit, ſolâ admonitione contentus in diætæ regimine, & præmaturâ deinceps phlebotomiâ, cùm primùm turgentiæ ſigna fuerint apparitura.

IX. At enim verò, dum novam hujus libri editionem adornamus, eſt, ut pleniori diligentiâ ſtudioſos Lectores demereamur, certiores ipſos facientes de ſu-

Digitized by Google

*Prædictus Vecchiottus repentè ſublatus.*

ſubitâ præfati Vecchiotti morte, quæ contigit circa ſolſtitium hyemale 1707. cùm nullam poſt graviſſimum morbum temperantiam adhibuerit.

*Laudantur Revellentia.*

X. Secundò, ea pariter omnia in corporibus bene nutritis juvamen attulerunt, quæ ad ſuperficiem, atque ad extremas corporis partes illam revellere potuerunt irritationem, quam in præcordiis, aut cerebro, ſub formâ ſtrangulationis canalium, tanto cum ægrorum diſcrimine incuneatus ſubtilis ichor moliebatur. Immo hoc remedii genus eò ſecuriùs opem tulit, quò magìs irritatio evacuationi ſeroſitatum ſalino–acrium, tanquam cauſæ morbificæ, jungebatur. Idcirco ex uſu fuerunt non ſolùm frictiones, & cucurbitulæ, ſed phœnygmi quoque, & veſicantia, plantis pedum, artubus, & occipiti ſtatim admota.

*Veſicantia opportuna, ſi vaſorum ruptura non adſit.*

XI. Neque porrò dubitamus, quin veſicantibus opus ſit in curatione hujuſmodi ſubitaneorum morborum, dummodo à vaſorum rupturis non proficiſcantur. Etenim, cùm iſtorum plerunque cauſæ malorum ſint ſucci, ex omnino præternaturalibus particulis coaleſcen-

ſcentes, motuque penitus inordinato præditi, qui non continvò congruunt cum ſecerniculis naturalibus, ad naturales, & conſvetos recrementitios humores excipiendos comparatis; neceſſe profectò eſt in repentinis hiſce affectionibus ad artificialia, & morboſa emiſſaria recurrere; ut ægri, apertâ per artem viâ, ſtatim id aſſequantur, quod vix ſerò, & difficulter naturæ beneficio impetrarent, quæ & ipſa, ubi viribus magìs valet, nixu ſuo, nonniſi novis patefactis viis, nempe per abſceſſus, laboranti ſuccurrit.

*Eadem ſunt emiſſaria artificialia ad ſupplementum naturæ, & imitationem.*

XII. Silentio deinde minimè prætereundum videtur, quod à D. Doctore Miſtichello non aſpernandum accepimus, nimirum à ſe obſervatum fuiſſe in Xenodochio Inſulæ Tyberinæ, ubi curandis ægrotis præpoſitus eſt, aliquos de plebe, quos nullum, quantumvis validum, atroxque, remedium à fortibus apoplexiis excitaverat, per admota plantis pedum ignita ferramenta ad vitæ officia ſubitò revocatos. Scilicet, quemadmodum [a] Claudinus conſulit in apoplexiâ, & ſyncope punctiones volis manuum, & poſt [b] Fort. Fidel., [c] Henricus ab

*Ignita ferramenta, plantis pedum admota.*

[a] Empyric. Ration. lib. 3. cap. 17.

*Punctiones item volis manuum.*

[b] De relat. Med. lib. 4. cap. 1.

[c] Obſ. 21.

*Acicula ſub pollice pedis adacta.*

*Ignis vis quãdo à cerebro, nervisque impactum excutiat.*

*Laminæ ignitæ in forti apoplexiâ commendatæ.*

*In curatione coactâ valida non damnanda remedia.*

ab Heers narrat, ſe aciculam prælongam inter pollicem pedis ſub ungue cujuſdam apoplecticæ, nullum vitæ ſignum præbentis, adegiſſe, illamque momento citiùs excitaſſe; ita certò credimus, multò efficaciùs præſentem ignem, validiſſimè irritando fines nervorum, maximum in jiſdem tremorem, & ſubtiliſſimarum partium excurſum per eorundem filamenta inducere poſſe, qui, ad uſque principium propagatus, fortiter etiam excutiat quidquid cerebro, & nervorum oſtiolis pertinaciter hæret, & per talem dumtaxat maximam nervorum ſuccuſſionem, & particularum ignearum penetrationem amoveri poteſt. Quo fit, ut omnes ferè Practici in curatione fortis apoplexiæ meminerint, non tantùm fonticulorum, occipiti, ſed etiam laminarum ignitarum, ipſis ſuturis admovendarum. Ac propterea anilem cenſemus metum nonnullorum, qui, ne morbi cauſam, forſitan igneam, exacuant, à veſicantium, igniſque uſu, in hujuſmodi malis, omnino abhorrent. Aliud enim eſt methodicas, regulares, aut præſervativas, aliud coa-

ctas,

Digitized by Google

ctas, ac repentinas morborum curationes inſtituere.

XIII. Tertiò levamen pariter non leve porrexerunt iis, qui, poſt ſanguinis miſſionem, vel ſinè illâ, deglutiendi poteſtatem recuperarunt, ea, quæ alvum laxare, ac mox validiùs movere potuerunt. Atque hinc, ſi quando infimi tenſio, ac renixus ventris (quod ſæpe accidit) occurrebat, ſtatim exhibuimus oleum amygd. dulcium, & injicienda curavimus clyſmata emollientia, ſimulque irritantia. Ubi verò ventris durities aut minimè deprehendebatur, aut mox per oleoſa cedebat, maximè etiam profuit pul. Cornacchini, vel aliud validiſſimum ſolvens, cum ſuperhauſtu copioſi diluti ex jure, vel aquâ hordei, ad tollendam ſcilicet ſiccitatem, ac ſtimulum, qui à forti cathartico induci ſolet. Neque ſanè de hujus quoque pharmaci utilitate ambigendum nobis fuiſſe, viſùm eſt per hæc tempora, in quibus non maſſa dumtaxat ſanguinis, ſed ipſa quoque hypochondria apud ægros multitudine bilioſo–acrium particularum redundabant. Quinimo profecit etiam vomitus apud

*In abdominis tenſione emollientia irritãtibus miſcenda.*

*Vomitus aliquibus proficuus.*

Bb illos,

illos, qui vel huic aſſveti fuerunt egeſtioni, vel ex crudioris adhuc cœnæ pondere laborabant.

XIV. Quartò non leviter juvarunt in curationum progreſſu ea omnia, quæ aquoſo fluido laxante, ac temperato redundant, cujus generis extiterunt potus aquæ, jura ſimplicia, deſtillata magiſtralia, ſucci herbarum epiceraſticarum, emulſiones amygdal. dulc., gelat. C.C., & ſimilia, quæ nimirum tum ſales acres, & ſulphureos temperare, diluere, atque irretire, tum vel maximè convulſas alicubi vaſorum fibras laxare valent. Hæc quidem apprimè congruunt cum jis, quæ, tanquam ſalutaria experta, proponit [a] Hippocrates in curatione Androthalis, *quem, cùm aphoniâ, rerum oblivione, ac delirio per intervalla detineretur, levabat poſt ſanguinis miſſionem aquæ potus, & aqua mulſa;* nimirum quia cauſa morbi erat humor bilioſus, & atrabilarius, qui temperantibus miteſcit, ut exponit [b] Valleſius. Quâ ſanè in re laudarem, ut Clinici ſæpe manibus tererent notationes Proſperi Martiani ad Hipp. textum 2. de [c] morbis, ubi per hæc verba ad-

[a] 7. epid. n. 83.

*Diluentia tēperata, &c. ab Hippoc. etiam laudata.*

[b] In com. præd. hiſt.

*Martiani precep[illegible]um in [illegible]plecticis cu[illegible]ndis.*

[c] Verſ. 64.

adverſùs eos, qui in apoplexiæ curatione calefacientibus utuntur, exclamat: – *Videant poſteriores, quantùm à Præceptoris doctrinâ, & ex conſequenti à veritate recedant, dum cujuslibet apoplexiæ cauſam, aut ſaltèm pro majori parte, in pituitam frigidam, & humidam referentes, curationem perpetuò calefacientibus, & exiccantibus inſtituunt; quandoquidem, factâ totius corporis purgatione, ſi morbus præbet inducias, ad vulgata ſua decocta ex guajaco, ſaſſafras, aliiſque ſimilibus, tanquam ad columnas Herculis, confugiunt; cùm animadvertere deberent, ex tribus apoplexiæ ſpeciebus unicam tantùm, & rarò contingentem, in frigidos ſuccos, Hippocratis conſilio, referendam eſſe.*

*Apoplexia in frigidos ſuccos rarò referenda ex Hippocr.*

XV. Tandem non tenuem opem tulerunt ea, quæ benignè diſcutiunt, miteſque ſpiritus refocillant, & expediunt, cujus ordinis ſunt tincturæ ex confect. de Hyac., & Alchermes; guttulæ aliquot ſpiritus ceraſ. nigr., vel mannæ, quem vitæ appellant; itidem tinctura auri, abſque menſtruo corroſivo parata; ut etiam ſales volatiles cornu cervi, cranii humani, ſuccini, & ſimilium, quæ ſanè largo ſemper hauſtu fluidi aquei

*Multi generis volatilia, & cordialia in uſum vocanda.*

miſcebantur . Profuerunt pariter theriaca, caſtor., & ſpirit. ſalis armoniac., naribus, ac temporibus admota ; ita tamen, ut perpetuò caverimus à volatilibus purè vinoſis, aliiſque ſincerè, hoc eſt abſque copioſi fluidi admixtione, per os exhibitis.

*Non tamen vinoſa.*

OB-

Digitized by Google

# OBSERVATIONES
## *Phyſico – Medicæ*
## NONNULLORUM,
## Qui, cùm primùm iſtiuſmodi repentinis morbis tentati fuerint, feliciter evaſerunt.

SED *jam obſervationes aliquot adjiciamus , & ſummatim deſcribamus hiſtorias nonnullorum , qui Medicæ Artis miniſterio à graviſſimis hujuſmodi morbis vindicati fuerunt , quorum curationibus unà cum Præſtantiſſimis Urbis Phyſicis interfuimus , & ex quibus ad conſimiles caſus exempla , & documenta petantur.*

OB-

Digitized by Google

# OBSERVATIO I.

*Apoplexia cum aphoniâ, & paralyſi dexteræ corporis medietatis, phlebotomiâ, catharticis, ac diaphoreticis ſoluta.*

PRimus, vel certè dignior, maximèque ſuſpiciendus, qui, inter Nobiles, elapſo anno, vim mortis evaſit, fuit Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Archiepiſcopus Bottinus, Vir octuagenario major, probitate, ac doctrinâ inſignis, habitus ſanguineo-carnoſi, miræque morum ſuavitatis. Hic, poſt gravia animi pathemata, quæ in ſublimioribus ingeniis non raró efferveſcunt, mediâ æſtate anni 1705., ſubjit intenſiora quædam ſtudia, indèque paſſus fuit capitis excalefactionem, & ſuppreſſionem conſvetæ per os matutinæ evacuationis viſcidulæ lymphæ.

II. Tandem circa initium Auguſti, poſt capitis gravitatem cum levi manuum tremore, apoplexiâ correptus fuit, à qua evaſit, ſuccedente paralyſi totius dex-

dexteræ medietatis, ac perſiſtente aphoniâ, quam ſanè cùm injecti clyſteres, exhibiti ſales volatiles, admotaque femoribus, brachiis, & nuchæ veſicantia tollere nequirent, profectò mirabiliter, quòd repentè acciderit, una ſolvere potuit miſſio ſanguinis ex ſublingualibus venis. Et quoniam ſupervenit ab initio febris, plura exhibita fuerunt pharmaca, partim alvum moventia, partim diluentia, ac benignè diſſolventia, inter quæ poſtrema primas tenuerunt ſtibium diaphoreticum, ad viginti dies continvatum cum jure ex herbis alkalicis; nec non guttulæ ſpiritus, quem vocant vitæ, ex mannâ ſublimatum; & quædam oris ablutiones actu calidæ ex decocto emollienti, & cephalico, additis nunc ſale prunellæ, nunc ſpiritu ſalis armoniaci. Quibus remediis & multa per alvum bilioſa recrementa, & copioſi ſudores eruperunt. Sed, quod maximi interfuit, antiqua revocata eſt tenacis lymphæ per os excretio; ſicque Æger, qui nunc ſextum ſupra octogeſimum implet annum, ſimplici ſalſæ infuſione tractatus, eòuſque meliùs paulatim proceſſit, ut ſpatio quin-

*Aphonia ſublingualiū venarum inciſione curata.*

*Oris collutiones in aphonis.*

Digitized by Google

quinquaginta dierum è lecto ſurrexerit, illo etiam crure, quod ſyderatum ab initio fuerat, ad ambulandum ſoluto. Deinceps verò, cùm affectum brachium fricari cœpiſſet manibus, inunctis adipe muris montani, quem Matthiolus italicè vocat *marmontana*, tantùm profecit, ut modò epiſtolas ſuâ manu ſubſcribere, & Miſſæ Sacrificium ritè poſſit celebrare.

*Muris montani adeps ad paralyſim.*

III. Simile commodum per hæc tempora ex eodem montani muris adipe (quantùm ex aliorum relatione novimus) reportavit dives etiam in Urbe Senex, qui poſt præteritam apoplexiam, atque aphoniam, contumaciſſimâ paralyſi detinebatur. Hic enim adeps mirè valet ad ſolvendum quidquid extremis tubulis, ac villorum poris hæret impactum, ſimulque ad emolliendas muſculares artuum fibras.

IV. In hac verò Præſulis medelâ, quanquam in ultimo ſenio fuiſſet conſtitutus, diligenter obſervavimus utilitatem ex phlebotomiâ, & prodigio ſimilis nobis occurrit linguæ ad loquendum ſolutio, eo ferè momento temporis contingens, quo ſanguis ex venis raninis affatim fluebat;

Digitized by Google

bat; indicio certè admodum evidenti, morbum ex interceptione vaſorum ſanguinis ad cerebri potiſſimùm baſim, & ad linguæ radicem, adglutinante muco, ortum habuiſſe, quâ ſolutâ interceptione, contiguorum, & continvorum nervorum libertas emicuit, quam ex earundem ſectione venarum videtur ſpondere [a] Simon Paulli in quodam Conſilio ad aphoniam.

*Raninis inciſis, cur ſtatim loquela redierit.*

[a] adnex. ad calcem tract. de feb. malig.

V. Huic verò curationi interfuerunt Viri Clariſſimi DD. DD. Placentius, Manfredus, Bernardini, & ipſe ego, juſſu CLEMENTISSIMI PONTIFICIS, qui egregii hujus Præſulis jacturam graviſſimè ferebat.

VI. Hîc fortaſſe non incongruum alicui videbitur inquirere, quî fiat, ut crura, & pedes, paralyſi tentata, ſolvantur faciliùs, quàm brachia, & manus, quanquam hæc tum cordi, tum cerebro proximiora ſint illis? Qui hujuſmodi problema ad eruditionis pompam excitatum velint, conſulant [b] Schneiderum. At nos, compendii, & veritatis pro viribus amatores, arbitramur, potiſſimam cauſam facilioris ſolutionis paralyſis in cruribus

*Cur crura, & pedes, paralyſi tentata, faciliùs ſolvātur, quàm brachia.*

[b] De paraly. cap. 8.



Digitized by Google

*Prima ratio ex perpendiculari vaſorum directione.*

eſſe directionem vaſorum tum ſanguinis, tum ſpiritus animalis, proximè ad perpendiculum poſitorum; contra verò cauſam curationis difficilioris in brachiis eſſe poſitionem vaſorum tranſverſalem, per quam eadem conſtituuntur ad rectos, vel rectis proximos angulos cum arteriâ magnâ, venâ cavâ, & ſpinali medullâ. Liquida enim, quæ per directionem, perpendiculari proximam, fluunt, expeditiùs moventur, & impedimenta, quæ ipſis objiciuntur, promptiùs amovent, quàm eadem liquida, ſi flexuoſo, atque angulari itinere devolvantur. Hoc ſanè ante oculos poſitum eſt in ſcrobiculis, atque hydraulicis canalibus, quos cœnoſarum aquarum remora penè interclusit. Etenim illi, qui in directum cum ipſo immiſſario poſiti ſunt, ſenſim adauctâ influentium lympharum copiâ, citò, ac facilè reſerantur; ſecus aut tardè, aut nunquam ab infarctu liberantur, qui tranſverſim, & obliquè ad angulos vel rectos, vel rectis proximos poſiti ſunt. Nimirum quia in illis fluidum, quod excurrit, majori velocitatis momento inſtructum, ſeu minori obſtacu-

lo-

Digitized by Google

lorum occurſu retardatum, quidquid lateribus canalium adhæret, validiùs abſtergit, & abripit.

VII. Ad hanc ſanè vaſorum rectitudinem reſpexiſſe viſus eſt [a] Hipp., cùm ſcripſit, torporem tibiarum, & crurum, in quem incurrunt qui, longo tempore deſidentes, fluxum ſanguinis ex coxis, ac femoribus intercipiunt, facilè ſolvi, *cùm ſanguis ad ſe ipſum redierit: citò verò propter venarum rectitudinem refluit.*

[a] lib. de morb. Virg. n. 2.

*Utilitas ex vaſorum rectitudine, Hipp. cognita.*

VIII. Accedit etiam ad faciliorem ſolutionem, quòd arteriarum, & nervorum, qui ad infernos artus deferuntur, trunci, diametro majores ſunt jis, qui ad ſupernos artus diſtribuuntur: quo fit, ut tum major influentium liquidorum copia, tum validior vis contractionis, ſeu periſtalticæ motionis vigeat in illis, quàm in iſtis, ac proindè partes illæ aptiores ſint diſſolvendis, propulſandiſque craſſis, atque hærentibus ſuccis.

*Altera ratio ex majori diametro canalium.*



Digitized by Google

# OBSERVATIO II.

*Fortis Apoplexia cum relictâ paralyſi feliciter curata in Matronâ ſexagenariâ.*

MAtrona quædam nomine Cherubina Leopardi, corpore ſubpingui, ſexaginta annos nata, ob ſuorum probitatem morum, eximiaſque virtutes, annis profectò digna Neſtoreis. Hæc diù ſpaſmodicis circa collum, & pectus doloribus, levique vertigine divexata, meliùs interdum ſe habebat, cùm ſanguis flueret ex hæmorrhoidibus, quibus reſtitantibus, & præcurrentibus alvi torminibus, ac fluxu, deinde verò ſiniſtrorum artuum contractionibus, pridie Kalendas Decembris 1705. in ſubitam incurrit apoplexiam, quæ externos, internoſque ſenſus proprio uſu, parteſque omnes motu privavit; ſed, adhibitis illico cucurbitulis, uſtione, ſuppoſitoriis, veſicantibus dexteris artubus, & cervici, admotoque naribus ſpiritu ſalis armoniaci, bal-

*Suppreſſis hæmorrhoidibus, fortis apoplexia.*

Digitized by Google

balbutiens reſipuit Matrona, quæ ſequenti mane, hauſto ſyrupo perſico, laudabiliter purgata eſt. At verò, cùm adhuc gravi ſopore detineretur, etiam poſt paralyſeos decubitum ad ſiniſtras corporis partes, accerſor ipſe, & facti conſcius, non dubitavi cum Solertibus Phyſicis curantibus D. D. Pierleono, & de Rubeis, quin ex hæmorrhoidali reſtitante hæmorrhagiâ, atque ex acri, ſulphureâque hypochondriorum ſaburrâ atrox malum magnâ ex parte penderet. Quoniam verò ſales volatiles viper., ſuccin., cornu cervi, cranii humani, aliaque cephalica calida minimè conducerent; propterea mariſcas aperiri, juſſimus: quæ phlebotomia utilitatem attulit, cùm indè, amotis imi ventris repagulis, ſanguis liberiùs per vaſa moveri cœperit, unde febris non ſinè magno levamine excitata fuit. Ægra enim, quæ priùs ferè muta, obtuſa, inerſque ſenſibus fuerat, loquaciſſima evaſit. Sed cùm facilè in ſoporem recideret, idcirco ſyderatis etiam artubus, nova admota ſunt veſicantia, quæ affluenter, & commodè viſcidulâ lymphâ per octiduum mana-

*Jiſdem arte revocatis, morbi diminutio.*

*Veſicantium utilitas etiam ſyderatis artubus.*

na-

narunt. Interea temporis, cùm nondum cerebrum integrè, extranea ſibi, fluida remiſiſſet, juvit præbere pilulas de ſuccino Cratonis, atque adjicere frequentes clyſteres: cùmque ſitis urgeret, largas potiones hauſit ex jure cornucervino, & aquis cephalicis. Demum tranſactâ trigeſimâ die, & repetitis pilulis de ſuccino cum flor. caſſiæ, tantùm ſolâ infuſione eboris, & ſalſæ proceſſit, ut mitiori ſuperveniente veris tempeſtate, ac proindè, liberiori ſuccedente tranſpiratione, ad conſvetum civilis vitæ uſum, propriis innixa pedibus, redierit.

*Salſæ infuſio.*

II. In hac profectò Matronâ vim humoris penè furentis, quem Priſci vocant melancholicum, atque atrabilarium, apertè obſervavimus. Acre enim, ac ſulphureum fermentum, ab hypochondriis per venas ad præcordia, & cerebrum exaltatum, loca omnia, per quæ gradiebatur, & in quæ decumbebat, miris modis, doloribus videlicet, vertigine, convulſionibus, apoplexiâ, ſopore, & febribus affecit; ut nullum fuerit dubium, quin Oraculum [a] Hippocratis novam ſemper veritatis lucem ab experimentis mu-

[a] lib. de flat. n. 4.

mutuetur, *morborum nempe omnium unum, eundemque modum eſſe, ipſum verò locum illorum differentiam facere*. Etenim, quanquam colli, & pectoris dolores, vertigines, alvi fluxus, motus convulſivi, apoplexia, & paralyſis, propter locorum diverſitatem, nihil inter ſe ſimile habere videantur; una tamen ſæpe, eademque eſt, ut idem ſubdit Hippocrates, illorum ſpecies, & cauſa.

*Morbi ex loco tantùm differunt juxta Hipp.*

III. Illud inſuper circa veſicantia ad memoriam hîc revocandum cenſemus, quod poſtremo hujus lib. cap. monuimus, ſcilicet magnam ex jis utilitatem evacuatione viſcidulæ, acerrimæque lymphæ in hujuſmodi caſibus præſtari poſſe; quia nimirum validius eſt remedium, ad omnino præternaturalem humorem extrahendum, morboſa emiſſaria ſubito artificio aperire, quàm, inani ſpe, illius concredere evacuationem ordinariis ſecerniculis, quæ, cùm conſveta ſint nonniſi ſenſim congruere cum fluidis, mixturâ, ac motu naturali gaudentibus, nec ſubitò, nec tutò præternaturalibus excipiendis liquidis aptari poſſunt: parcendumque propterea eſt jis Clariſſimis

*Veſicantia ſecerniculum excitant, liquido preternaturali expurgando idoneum.*

*Solis ſecerniculis naturalibus cur non ſemper morboſi liquidi repurgatio concredenda.*

Vi-

Digitized by Google

Viris, qui, in factitandâ Medicinâ nunquam veſicantibus utentes, illorum vim experiri, ac ſuſpicere non poſſunt. Unde in ſubitaneis morbis ſæpe accidit, ut, dum Medici ſolius conſopitæ naturalis œconomiæ munera formidoloſè promovere ſtudent, ægri properent ad interitum.

---

## OBSERVATIO III.

*Subita capitis occupatio cum aphoniâ ex affectione cerebri partim idiopathicâ, partim ſympathicâ proſperè cedens.*

REverendiſſimus Pater Alderanus Malaſpina, Abbas Sancti Pauli ex Benedictinâ Familiâ, ſexagenario major, corporis habitus mediocris, ingenio conſtanti, ſerioque, cùm ex variis per Italiam itineribus, curiſque animi, malignam febrim Cæſenæ, ni fallor, ante annum contraxiſſet; indèque valetudinarius de hypochondriorum plenitudine, de ſtomachi cruditatibus, deque capitis dolore, Muti-

ti-

Digitized by Google

tinam profectus, quereretur; tandem ſummâ hyeme anni 1706. Romam venit, ubi, cùm fortè paulò largiori uteretur victus ratione (quæ, tametſi pleriſque Flaminiæ, & Galliæ Ciſalpinæ Incolis ita ſit innoxia, ut, propter ſubtiliſſimum illius cœli temperamentum, potiùs ſit neceſſaria; in Urbe tamen, potiſſimùm apud illos, qui ſeſſilem vitam in ſtudiis plerunque ducunt, ſemper eſt periculoſa) accedentibus etiam principio ſui miniſterii pluribus, tædioque plenis laboribus, incidit in comatis ſpeciem cum aphoniâ, ad quam curandam accitus Eruditiſſimus Joh. Trullus, unà cum aliis Cœnobii Phyſicis, ſtatim catharticum, variaque cephalica, prudenter exhibuit. Cùmque poſtridie, ob mali momentum, ipſe quoque in conſilium adhibitus fuerim, non dubitavi, quin morbus partim eſſet ſympathicus ex ſtomacho, & hypochondriis, partim idiopathicus, ex languidiori reddito membranarum, vaſorumque capitis tono, hærenteque craſſiori lymphâ ad cerebri præſertim baſim. Unde tria potiſſimùm, pro abigendâ ægritudine, omnium conſenſu, decreta fuerunt re-

*Victus plenus Romæ quibus præſertim noxius.*

*Curatio Comatis ex conſenſu ſtomachi, & capitis.*



Digitized by Google

media, ſcilicet primò citiſſima phœnygmorum admotio femoribus, brachiis, & cervici; ſecundò epicratica purgatio cum pilul. ex rhabarb., pulv. ſtomach. Quercet., & granis ſcam. ſulphur., ſuccini, & caſtorei; tertiò omnimoda vini ſubductio: quibus ſanè auxiliis, intrà triginta dies convaluit. Sed, cùm poſt vernum æquinoctium ad Monaſterii curas properè, atque adhuc impotens rediiſſet, improvisò in aphoniam recidit, quæ, licèt comati non jungeretur, adhuc tamen futuræ apoplexiæ metum aſſidentibus incuſſit. Sed, propinato ſtatim pulvere Cornacchini, noviſque admotis femoribus, & occipiti veſicantibus, feliciter, citiùſque revaluit. Et quoniam languor ſtomachi pertinaciùs urgebat, idcirco plùs viginti dies hauſit magno cum fructu jus pipionis turratil., in cujus ventre parum lignorum ſaſſafras, & viſci quercini, cum rad. & herbis deobſtruentibus, ſtomachicis, & cephalicis incluſum fuerat.

*Ad ſtomachi languorem jus appropriatum.*

II. In hoc ſanè Præſule cùm ſubitus capitis morbus vitio tum primæ digeſtionis, tum collectæ in univerſo corpore, ſed

*Phlebotomia cur ... [illegible]*

ſed in cerebro præſertim, lentæ, ac viſcidulæ lymphæ ortum habuerit; nullà mentio de mittendo ſanguine facta fuit, ac ſolerter utilitatem, ex alvum ſolventibus, atque ex veſicantibus reportandam, loco phlebotomiæ, conſtituimus, ut de Ægro nobis pollicebamur. Et quoniam religioſiſſimus Vir, congruâ deinceps corporis exercitatione, diætâ, atque purgatione per epicraſim uſus fuit; idcirco firmiùs ſanatus eſt.

---

# OBSERVATIO IV.

*Apoplexia cum affectione epilepticâ, & ſyncopali in paralyſim dexteræ medietatis corporis, ſalvâ tunc Ægri vitâ, concedens.*

ILluſtriſſimus, & Reverendiſs: Bartholomæus Spada, Cam. Apoſt. Clericus, & Baſilicæ Vaticanæ Vicarius, annorum 50., ſtaturæ proceræ, habitus ad gracilem tendentis, moribus ſeriis, ac religioſis, lin-

guâ ab infantiâ paululùm tardus, ſterno admodum depreſſo, convulſivoque aſthmati per intervalla obnoxius, cui fluida demulcentia ſemper profuerunt, cùm ferè ante annum ex duabus, ſibi diù conſvetis, evacuationibus, ſanguinis nimirum hæmorrhoidalis, necnon acris narium muci, illam haberet, ſi non valde diminutam, ſaltèm non largè fluentem, hanc verò penitus ſuppreſſam (forſitan ob inſpirata recentis effluvia calcis, ex novo, juxta quem incautè dormivit, muro) paulatim, præterito autumno, fluxionem rheumaticam, erraticamque febrim incurrit; indèque, collectis apud hypochondria, & præſertim lævum, tenſivis obſtructionibus, res eò devenit, ut febris, ac dolores contumaciſſimè redierint. Sed Medici antiquæ memores utilitatis, ex fluidis reportatæ, illum variis temperantibus curarunt; quinimo uſu etiam chinæ chinæ tum febris, tum dolores penitus exularunt. At, cùm Æger, pietate, ac lege ſui muneris impulſus, integram Sanctiſſimi Natalis noctem anni 1705. in Baſilicâ Divi Petri, frigore, atque inediâ tortus, pervigilaſſet,

*Suppreſſio narium muci ex recentis calcis effluviis.*

ſet, poſtero die gravi febri, cum acutiſſimo in coli flexurâ dolore, corripitur, cui licèt oleum amygdalinum, externaque fomenta, & clyſteres opportunè profuiſſent; attamen vix hebdomadâ morbus quievit, quâ tranſactâ, atrox ſub poplite dolor ſubitò invaſit, qui pariter laxantibus ceſſit. Poſt hæc, ſecundo Februarii 1706., dum, flante boreâ, valetudinarius publicè Sacris adeſſet, ob inopinatum animi deliquium, domum reducitur, & ſequenti nocte immani tentatur dolore circùm dexteræ mandibulæ articulationem cum faucium phlogoſi, à quo malo exemptus fuit cucurbitulis ſcarificatis, fomentis anodynis, injectiſque clyſteribus.

II. Sed, cùm Æger fortaſſe nunquam ſe meliùs, quàm die 18. ejuſdem menſis, habuiſſe videretur, proximè cœnaturus, apoplexiâ repentè corripitur, poſt irregularem totius corporis motum, cui dexteri brachii ſyderatio, oris tortura, auctaque linguæ hæſitatio illico ſucceſſerunt. Accurrunt Medici, & prætumidam, ac ſubrubram illius faciem, conſvetumque hæmorrhoidum fluxum per-

*Vagi externarum partium dolores tandem in apoplexiam cedentes.*

pen-

pendentes, jubent, mitti ſanguinem ex talo: cùmque conſtaret, fluidum acre, olim per nares excerni ſolitum, hàc illac pererraſſe; conſultò admoverunt veſicantia femoribus, & cruribus, nihilque omiſerunt, quod ſuccorum acredinem mulcere, tonumque cerebri firmare potuiſſet. Neque verò ullum de exhibendo ſtatim cathartico conſilium fuit, cùm hypochondria ſubtenſa, atque irritata, benignam laxantis pharmaci facultatem ſubitò poſtularent. Hinc exhibitum oleum amygdalinum cum ſyrupo violato, indèque injectis fortibus clyſteribus, copiosè fluxit alvus. Sed, cùm omnia feliciter progredi videbantur, poſtridie prætumida, ac ſubrubra recurrit facies, turbatur mens, convelluntur labia, atque artus; mox in ſyncopem recidit Ægrotus, quem propterea ſinè pulſu, reſpiratione, ac voce, lugent, ut mortuum. Recens hoc mali augmentum docuit, ex hypochondriis, per albas, rubraſque venas, liquida, fibras irritare, & convellere apta, in præcordia, atque in cerebrum, indèque per nervos in univerſum corpus erroneo motu tranſduci: unde,

*Hypochondriorum tenſio ſublata.*

*Syncopis, & convulſionum recurſus unde.*

de, excitato priùs Ægro à paroxyſmo cum ſpiritu ſalis armoniaci, & oleo Matthioli, omnium conſenſu Curantium, propinatum fuit pharmacum ex infuſione ſennæ, & tartari cum ſyrupo violato, præmiſſo bolo ex ſtibio diaphor., cui acceſſerunt antepileptica, ex cinnabari nativâ, & ſuccino, atque, ob gracilem Præſulis habitum, copioſa, ac temperata diluta. *Horum curatio extra paroxyſmum.*

III. Cùm verò in hac morbi recrudeſcentiâ oculi ſubtenſi, ipſaque taciturnitas ſatìs admonerent, cerebrum minùs per venas refudiſſe, quàm accepiſſe per arterias; idcirco novum occipiti veſicans admovendum judicavimus, quibus remediis Æger circa mentis operationes meliùs ſe habuit, urinis redditis circa ſeptimum copioſis, atque interdum etiam ſtrangurioſis.

IV. Sed, quanquam ſeroſitates acres, ex veſicantibus largè fluentes, unà cum rubicundis quibuſdam herpetibus ſub affectâ ſcapulâ, & circa dexteram dorſi partem ſpontè obortis, multum de præcordiorum, & cerebri infarctu extra corpus derivaſſe viſæ fuerint; nihilominus *Morbi ad exteriora converſio.*



Digitized by Google

nus tamen recurrentes pulſus inæqualitates, urinæ ſtrangurioſæ, rubor faciei, circumtenſivus capitis dolor, oculorum immobilitas, ſplendor, ac ſtrabiſmus, denique taciturnitas, ac ſubobſcuræ motiones mentis non mediocrem incutiebant metum, ne acerrimi ſucci, qui in cerebro, & hypochondriis pertinaciter adhuc intercipiebantur, mortiferas ſyncopes, & epilepſias aliquando renovarent. Quâ de re ad iſtam cauſam magìs diminuendam purgans benignum, duodecimâ die, repetitum fuit, & hirudines mariſcis, præter ſolitum tumidioribus, ante 14. admotæ ſunt; non omiſſis frictionibus, pediluviis, & laxantibus, ſubtenſo abdomini adhibitis.

*Syncopis, & epilepſiæ periculum detractum.*

V. At verò, licèt omnia ſenſibili fructu ad uſum venerint, nondum tamen ſævitia morbi pelli omnino potuit; etenim à die 13. uſque ad 20. non ſemel ſyncopes, vaniloquia, & convulſivi motus redierunt; quorum ſanè potior malorum cauſa, ſuperatis tandem præcordiorum anfractibus, cerebrique flexibus, per nervos extra cranium fuit paulatim detruſa, atque in femore, & crure dex-



Digitized by Google

tero intercepta, quibus in locis paraly-ſim, tanquam opportunum decubitum, induxit. *Ab his opportunus tranſitus in paralyſim.*

VI. Interea temporis nulli non Curantium perſpicuum erat, mixtum hunc morbum ex apoplecticâ, epilepticâ, & ſyncopali affectione in Viro gravi, & melancholico, à ſanguine, miſcellâ ſalium lixivialium, & impuri ſulphuris imbuto, atque infecto, potiſſimùm produci, ideoque locum habere illud [a] Tralliani, quo monitos vult Medicos, ne in curatione paralyſeos decipiantur, ſumentes ( loquitur enim juxta vulgarem ſui temporis hypotheſim ) calidam cauſam pro frigidâ. Idcirco unicè ſtuduerunt diluere hujuſmodi penè igneos ſales, exhibitâ aquâ Nucer., nunc ſimplici, nunc in ſpeciem juris, aut emulſionis, nec non tentatis balneis aquæ dulcis. Sed profectus nonniſi incerti, ac diarii uſque ad 27. extiterunt. Quapropter ad deplenda cerebri vaſa, quæ ſplendidis, rubentibuſque ex oculis tumentia perſpiciebantur, applicitæ fuerunt hirudines ad venas narium; indèque vaniloquium, atque inſomnium magnâ parte remiſit. *Hirudines naribus applicitæ ſalutares.*

[a] lib. 1. c. 16.

Ee Cùm-

Digitized by Google

Cùmque perſiſtens capitis gravitas, dolor, ac taciturnitas arguerent hærentem in membranis, & intrà cerebrum acerrimam lympham, quâ olim illius nares manabant, eâ ratione tunc nova dedimus antepileptica, partim ex cryſtall. mont., corall., & rad. valer., partim ex pane, & croco metallor., juxta Quercet. normam, parata; & præcipuè ſetonem cervici admovimus, cujus ex ulceribus craſſa, copioſa, & acris fluere cœpit ſanies, ut brevì, depleto cerebro, graviora ejuſdem ſymptomata mirabiliter ceſſerint.

*Seto cervici utiliter admotus.*

VII. His certè auxiliis, & omnimodâ vini abſtinentiâ compeſci, non planè profligari morbus paſſus eſt. Cùm enim fluida junguntur ſolidis ad maleficia, oporteret, Medicum permutare poſſe totum hominem, ut prudenter ſcripſit Aretæus, quod nec Diis ſuis facile fore, putavit. Itum igitur, nunc areſcentibus, nunc revireſcentibus ſymptomatibus, uſque ad 50. diem, quo tempore præcordiorum, & cerebri mala, aperto etiam ſpontè in coccyge tuberculo, majori parte ſedata ſunt.

*Medici labor in ſolidorum morbis.*

VIII.

*Superſtes in Ægro ſymptomatum cumulus.*

VIII. At enim verò, poſt factas cum morbo multorum menſium inducias, urgebant tamen Ægrum primò invincibilis paralyſis dexteræ corporis medietatis; ſecundò ſumma gracilitas cum lentâ febri, & pulſu frequenter inæquali, ad tabem feſtinans; tertiò animi angor, in unâ præſertim cogitatione reaſſumendi publica ſua officia defixus; quartò alvi ſtypticitas; quintò recurrentes interdum præcordiorum contractiones cum anhelitu; ſextò voracitas, & impatientia ciborum, quibus, etiamſi affatim devoratis, Ægrotus nihil proficiebat: Alimenta enim, etſi copioſa, quæ ab ore in ventriculum, acris irritatione fermenti, jucundè deſcendebant, à ventriculo tamen, atque inteſtinis minùs defæcata, immo vitiatâ mixturâ, minori, quàm par eſt, mole per galaxiam, ad maraſmum avertendum, aſcendebant. Tandem ea etiam ulceroſa laſſitudo, viriumque imbecillitas vexabat, quæ nullum corporis motum, nullam vel minimùm actuoſam medicamentorum facultatem ſuſtinere poterat.

IX. Quare, cùm mecum Optimi Ro-

mæ Medici rurſum in conſilium vocati fuerint DD. DD. Placentius, Sinibaldus, Saxus, & Gattuccius, quorum unanimi conſenſu, omnia etiam initio morbi decreta fuerunt; ſtatuimus, Medicam Artem vehementes iſtius mali impetus obtundere potuiſſe, morbum tamen prorſus tollere nequiviſſe; atque idcirco Nobilem Virum jis adſcripſimus, qui morbo ſuccubuerunt, quorum integram curationem nemo ſciens, ac prudens citra immaturum Ægri periculum, Artiſque dedecus tentare audeat; propitio interim Numini tribuentes, ſubitaneum, ſemperque atrociùs recurrens malum, quod Romæ tot, tantoſque repentè ſuſtulerat, noſtro adhuc Præſuli peperciſſe.

## *ÆTIOLOGIA.*

NEmo involuti hujus morbi ætiologiam apprimè poterit intelligere, quin attentè perpenderit, apud [a] Hipp., morbos in jis corporis partibus ſtatui, atque firmari, quæ antea laboraverint; ſimulque adverterit ejuſdem [b] Hippocratis monitum,

[a] ex aph. 33. lib. 4.

[b] 2. de morb. popul. ſect. 1.

tum, occaſiones nimirum, unde quis ægrotare cœpit, conſiderandas eſſe. Etenim cùm Illuſtriſſimus Præſul ab incunabulis linguâ parumper hæſitaverit, ſternoque depreſſus, convulſivo aſthmati fuerit obnoxius; proculdubio cerebri ſimul, & præcordiorum inſito, atque innato ſtructuræ vitio ipſum laborare, neceſſe fuit. Nil igitur mirum, ſi prædictis viſceribus, iiſque appenſis vaſis noviſſimè incubuerint morbi, quorum ſanè cauſa petenda maximè videtur ab occaſione ſuppreſſionis narium fluoris, qui, cùm copiâ, atque acredine ſuâ [a] cerebrum, & maſſam ſanguineam perpetuò defæcaret, ſtatim atque ob hauſtos recentis calcis vapores ſubſtitit, eaſdem partes cœpit inquinare. Et quoniam ab initio quodcunque vigebat robur in vaſculari, ac muſculari texturâ præcordiorum, & cerebri, ſimulque morbida fluida nondum ad ſummam plenitudinem, ſummamque acredinem evecta erant; decubitus ad artus, atque ad imi viſcera ventris ſolummodo contigerunt. Sed poſtquam præcordia, ac nervorum principium paulatim languidiora reddita, flui-

*Morborum occaſiones perpendendæ ex Hip.*

*Ingenitum organorum vitiū in Ægrotante.*

[a] Huc confer quę ſcribit D. Valſalva de foraminibus expellentibus morboſa fluida ex cranii cavitate per aures, nares, & os, in tract. de Aur. Hum. cap. 5.

*Vigentibus cerebro, & præcordiis, morbi ad artus, & abdomen detruſio.*

*Iiſdem languentibus, morboſæ materiæ retroceſſio.*

fluida verò copioſiora, & vitiata magìs fuerunt; repentè epilepſia, atque apoplexia, deinde etiam ſyncope ſubortæ ſunt: quarum certè affectionum geneſeos modos is digito quaſi tetigerit, qui magni textum Hippocratis lib. de [a] flatibus, tacitâ circulationis lege ibidem utentis, diligenter expenderit; dummodo quod ipſe aeri, tanquam iſtorum cauſæ morborum, adſcribit, acribus liquidis tribuendum didicerit. Sanguis enim, acerrimorum miſcellâ ſalium fœdatus, nativam volatilitatem, ſuamque dulcedinem amittit, & conſiſtentiâ, ac superficie evadit inæqualis, ut demum vaſa ipſa irritare, & corrugare ſit potens; atque ita duabus de cauſis, ſuâ nempe, ac vaſorum, in præaffectis partibus ſibi curſum perturbat. Unde *alio quidem loco* (ſunt verba Hippocratis) *ſanguis conſiſtit, alio lentiùs penetrat, alicubi autem citiùs*. Quâ ſanè factâ inæqualitate tranſitus ſanguinis per cerebrum, & præcordia, omnigenæ inæqualitates, & ægritudines artuum, pulſuum, reſpirationis, atque animorum in hominibus contingunt.

[a] n. 21.

*Sanguine vitiato, quomodo circulationis inæqualitas ſuccedat.*

*Hippocr. teſtimonium.*

II. Verùm, ubi contumax eſt inæquali-

li-

litas motus ſanguinis in cerebro, ac medullâ oblongatâ, ſæpe partes aliquæ fluidorum minoris motus intrà, & juxta horum, aut illorum nervorum texturam, aut motricium fibrarum utriculos, atque intermedia ſpatia vel urgentur, vel ſubſident, & impingunt, & tanquam capita mortua ferè indiſſolubiliter figuntur; indè, juxta nervorum diſcrimina, varias paralyſis ſpecies inducunt, quæ, in noſtro caſu, primùm brachii dexteri, deinde etiam femoris, & cruris ejuſdem lateris extiterunt.

*Quomodo paralyſis in his contingat.*

III. Sed, dum hæc ſcribebamus, quaſi gratulantes, metum diſſimulare minimè potuimus, ne aliquando ſyncopis, vel epilepſiæ ſimul, atque apoplexiæ inſultu correptus Æger, diem ſuum obiret ex tempore. Quod ſanè prognoſticum impletum vidimus die VII. Kalend. Octob. 1706. Etenim Patiens poſt creſcentem ulceroſam laſſitudinem, ac ſæpe recurrentem ſyncopem, vehementiſſimâ vexatus ſiniſtræ medietatis epilepſiâ, non ſinè Amicorum lacrymis deceſſit. Ubi notandum, per octiduum ante mortem intenſo crurum frigore, ab aliqua-

*Ægri hujus interitũ quænam præceſſerint.*

Digitized by Google

quali œdemate tumidorum, fuiſſe detentum; quo tempore lotium turbidum, craſſiuſculum, nec magnâ copiâ reddebatur; aderat inappetentia; & ſpirandi quædam difficultas identidem vexabat cum laryngis, & præcordiorum ſenſibili ſtrangulatione. Quare ne ad plenam iſtius ægritudinis cognitionem quidquam deſiderari poſſit, ea, quæ in cadavere obſervatu digniora comperimus, breviter ſubnectemus.

DIS-

Digitized by Google

# DISSECTIO CADAVERIS Illuſtriſſimi Præſulis Spadæ

## Sub die 26. Septembris 1706.

*Coram Excellentiſſimis DD. Doctoribus Sinibaldo, & Saxo, me quoque præſente, ac omnia diligenter adnotante.*

INchoatâ itaque ſectione à capite, quod malorum potiſſimum theatrum habebatur, vidimus duram matrem albam, contractam, atque in anteriori parte corrugatam, quâ deindè amotâ, occurrit pia ſolito craſſior, flavoque hìc illic muco fœdata, cujus è vaſis, plùs juſto dilatatis, ſubobſcurus magnâ copiâ exundaverat ſanguis, qui, in grumos concretus, hærebat ſulcis dexteri præſertim cerebri hemiſphærii uſque ad corpus calloſum. Sinus interim duræ matris omnino vacui, multiſque ſparſim racemis glandularum miliarium referti conſpiciebantur. Subſtantia tam corticis, quàm medullæ cerebri, fluidior,

*Morboſa duræ matris contractio.*

*Glandularum racemi ad ejuſdem ſinus.*

*Dexterum corticis cerebri hemiſphærium ſiniſtro minus, & flaccidius.*

& , dexterâ præſertim, atque anteriori parte, minor, ac depreſſior erat. Diametri ventriculorum anteriorum aliquantò naturali ſtatu majores occurrerunt. In dextero ventriculorum cruenta ſeroſitas continebatur. Nervi optici paulò graciliores. Cerebellum mollius pariter, ac flaccidius; in cujus, atque in cerebri baſi venulas aliquot varicoſas offendimus.

II. Ad ventres mox inferiores deſcendentes, animadvertimus univerſum corpus inſigni tabe conſumptum cum pedibus œdemate affectis, & , reſeratâ per cultrum intrà abdomen viâ, gracilem, ac nigram quandam membranam omenti vicem gerere; ſtomachum, atque inteſtina optimi coloris, & ſubſtantiæ. Hepar neque mole, neque conſiſtentiâ, aut colore à naturæ lege admodum devium; bilis tamen cyſtica fluidiſſima, & ſubviridis occurrit. Pancreatis glandula mole major, ac durior. Lien parte, quâ maximè lymphatica excurrunt, duobus cinereis ſteatomatibus erat induratum, cæterà ſanus. Renes, omnium judicio, incolumes, excepto cortice, qui ſubobſcuri coloris evaſerat.

III.

Digitized by Google

III. Denique ſecto, atque elevato ſterno, utraque thoracis cavitas cruento latice redundabat. Pulmones quædam ſubnigræ maculæ variegabant, quas, cùm attentiùs obſervaremus, figurâ ſerpentinâ præditas aſpeximus; ac proindè non dubitavimus, quin illæ extrema eſſent vaſa ſanguinea, quæ in exiguas varices abjerant. Pericardium brevius undequaque ſuperſiciei cordis adhæſerat, omni penitus lymphâ exinanitum; in cujus ſanè internâ facie, à corde per vim avulsâ, inæqualia, atque alicui noſtrûm duriuſcula etiam corpora, obſtructarum glandularum ſpeciem referentia, viſa ſunt. Cor, quanquam exteriùs nihil ſpectabile patefaceret præter aridiuſculas, & ſulcis quibuſdam per longum exaratas fibras; interiùs tamen (etiamſi ſanguine, ac polypis omnino vacuum) raram certè, ac memoriâ hominum æternùm duraturam rem nobis exhibuit; ſcilicet ad oſtium arteriæ magnæ in ſingulis valvulis ſemilunaribus aderant inæqualia quædam, ac exigua ſarcomata, quæ in fimbrias, ac lacinias, inſtar condylomatum protenſa, intrà aortam inclinabant;

*Pulmonum varices.*

*Cordis ſarcomata in ſemilunaribus valvulis.*



Digitized by Google

bant ; neque interim à valvulis , citra ſciſſuram, ſe avelli, patiebantur ; ut nullum propterea fuerit dubium , quin ex productis valvularum fibris, vaſiſque nata, non verò per ſimplicem adhæſionem compacta, corpora illa penderent . Denique intrà aortam deſcendentem ſubſtantia inæqualis, ac rotunda , naturæ verò polypeæ, cavitatem ferè totam opplens , inventa fuit.

IV. Hæc ſanè omnia clarè nos docuerunt , ſedes , & cauſas atrocium cum præcordiorum , tum cerebri malorum , quæ Nobilem Ægrum lentâ tabe ad tumulum perduxerunt, omni humanâ ope fuiſſe majores.

## *SCHOLIUM.*

*Non omne morboſum in cadavere repertum morbo ſynchronon fuit.*

POrrò , ſi quis diligenter ire cuperet per ſingulas præternaturales res , quæ in hoc extiſpicio obſervatæ fuerunt , provinciam ſanè longè graviſſimam, & ſimplici commentario majorem ſuſciperet . Attamen, ut ſpecimen aliquod noſtrarum tradamus annotationum, cenſemus, non omnia ,

ut

ut plerunque contingit, quæ hîc rara, & præter naturæ ordinem detecta ſunt, ab initio morbi extitiſſe; ſed alia præceſſiſſe, alia ſenſim, alia tandem excitata, prævifæ hujus mortis cauſam habenda eſſe.

II. Vitia, quæ præceſſerunt epilepticam, apoplecticam, & paralyticam affectionem, nonnulla exiſtimamus latuiſſe in fluidis, nonnulla in ſolidis. Fluidorum præexiſtens labes in lymphâ certè conſtituenda præ cæteris videbatur, quæ ſcilicet ſalſa, & acris, ex lixiviali plùs juſto bilis mixturâ orta, per nares olim utiliter excernebatur, quæque ſanguini admixta, ferè menſtruum hæmorrhoidum fluxum promovebat. *Vitia morbo præeuntia.*

III. Nonnulla pariter ſolidorum vitia cognata, indèque adulta fuiſſe, arbitramur. Hæc autem extiterunt ſterni depreſſio, pericardium minùs, quàm par eſt, amplum, extremorum vaſorum in corde, pulmone, ac cerebro talis laxitas, per quam in varices facilè dilatari potuerunt. *Cognata.*

IV. Vitia verò, quæ decurſu morbi acceſſerunt, putamus, fuiſſe in fluidis *Succedentia.*

cra-

Digitized by Google

craſim, ſeu mixturam longè magis acrem, pungentem, ac ferè veneficam, ex ipsâ ſuppreſſione muci narium, ſimulque ex influxu particularum recentis calcis inductam, quæ, fieri non potuit, quin cum liquido etiam nervorum, aliiſque fluidis ſecundariis paulatim communicaretur. Etenim poſthac febres, dolores, & vigiliæ, tandem epilepſia, paralyſis, ac ſyncopes ingruerunt. Hæc autem fluidorum labes in præaffectis potiſſimùm ſtructurâ locis, cerebro nimirum, & præcordiis, morboſos tandem decubitus induxit: interceptâ enim, ob recurrentes identidem convulſiones, circulatione ſanguinis, neceſſariò ichores eroſivi, utpote perniciores, ſubterfugiendi tempus, ac modum ipsâ ex morâ huc illuc invenerunt; itaut minima vaſa, villorumque extremitates elimare potuerint. Unde poſtmodum cætera intercurrentia liquida, pro varietate ſuorum motuum, & mixturarum, alteri parti aliquid affinxerunt, de alterâ verò aliquid ſemper detraxerunt; affinxerunt quidem lieni, valvulis ſemilunaribus, pericardio, renum cortici, pedum intercapedinibus, aliiſque membris,

*Ichorum vis penetrativa.*

in

Digitized by Google

in quibus, vel propter pororum anguſtias, vel propter exilitatem impetus, ſemel intercluſa viſcidula fluida pertinaciter adhæſerunt. Detraxerunt verò de dextero cerebri cortice, de omento, de univerſo corporis habitu, deque aliis locis, quibus intercurrentes corroſivi ichores, non modò novam non addidere, immo compactam jam pinguedinem eliquare, atquè abradere, corpuſque tabidum reddere potuerunt.

V. Tandem eò ventum fuit, ut ſanguinea tum piæ matris, tum pulmonum vaſa, ad extremum exilitatis attenuata, propter diuturnam introfluentis liquidi acredinem, diſtrahentemque vim, ob circuli interceptionem, ex convulſionibus ortam, poſtremâ excitatâ epilepſiâ, diſſilirent, ſanguinemque ſupra, & intrà cerebrum, necnon cruentum ſerum intrà thoracem effuderint; unde ſubita mors. Ad quam tamen inferendam, ſuſpicor, unà ſimul conſpiraſſe interruptam ſanguinis continvationem per ipſa vaſa cordis; inventa quippe ventriculorum exinanitio certè arguit, à violentiſſimis præcordiorum ſtrangulationibus *Unde ſubita mors in hoc Ægrotante.*

præ-

Digitized by Google

præciſum fuiſſe vitæ tramitem, qui cum ſanguine per cor in pulmones, & à pulmonibus per cor in arterias, ac venas circumducitur.

VI. Quod verò ſpectat ad duplex cordis vitium, adhæſionem nempe pericardii, & ſarcomata valvularum, non admodum in prioris examine immorabor.

*Pericardii cũ corde adhæſio cur tabidis, & aſthmaticis familiaris.*

Ut enim illud frequentius eſt malum apud tabidos, ac præſertim aſthmate vexatos; ita longâ diſquiſitione non indiget; nam ſatìs eſt notare, obſtructis oſtiolis, unde intrà pericardium liquor depluit, ac deficiente prorſus omni humiditate, quæ ambas cordis, ejuſque capſulæ ſuperficies ab adhæſione disjungit, illas inter ſe neceſſariò cohærere, atque conjungi; præcipuè ſi pericardium breviori orbe (naturâ, vel ſæpiuſculis contractionibus factum) contineatur, ex quo fiat, ut ſit cordi propinquius.

VII. Igitur, ad poſterioris animadverſionem tranſeuntes, ingenuè fatemur, hoc ſarcomatum vitium in tot obſervatis cadaveribus nunquam aliàs nobis fuiſſe compertum, nec adhuc ex aliorum lectione cognitum; utcunque viderimus

*Valvularum cordis ſarcomata à nemine indicata.*

hu-

hujuſmodi valvulas cartilagineas, oſſeas, exeſas, phlogoſi affectas, aut cum ſanguiferis varicoſis.

VIII. Nota pluribus eſt illa per [a] Harveum memorata obſervatio de carne fungosâ, externo cordis cono accretâ. Nec ignoramus aliam Joh. Jacob. [b] Martini de exiccato corde, quod centum tuberculis totâ externâ ſuperficie obſitum erat. Similiter notatu dignam cenſemus eam, quam refert Joh. Conrad. [c] Peyer. de corde, cujus inæqualem ſuperficiem carnei veluti lemniſci externè cingebant. Sed qualis hujuſmodi interna, nulla, quòd ſciam, refertur; concretiones namque à [d] River., aliiſque caruncularum in modum intrà cordis ventriculos inventas, polypeam tantùm ſubſtantiam, non verò ſarcoma, cum ejuſdem cordis carne continvum, redoluiſſe, arbitror: ex quo ſanè evenit, ut apertè doceamur, quidquid in phyſicis poſſibile eſt, aliquando contingere. Atque in hoc [e] Plinius erroris non temerè redarguitur, cùm ſcriptum reliquerit, *ſolum cor vitiis non macerari, nec ſupplicia vitæ trahere, læſumque mortem illico afferre.*

[a] exerc. 52. de gen. animalium.

[b] apud Miſcell. n. c. decad. 2. obſer. 204.

[c] Meth. hiſt. anat. med. in ſchol. cap. 6.

[d] cent. 4. obſ. 21.

[e] lib. 11. c. 42.

*Horum ſarcomatum geneſeos modus.*

IX. Excitata verò juxta cor putamus ſarcomata iſta ex eâdem causâ, eodemque modo, quo ea fiunt, quæ exteriùs, ac præcipuè in podice, apparent; ſcilicet ab inductis omnium primò levibus ulcuſculis, aut rhagadibus, paulatim diſciſſa valvularum vaſa, ob viſcidulorum liquidorum interceptionem, elongari, ac luxuriare cœpiſſe, varièque invicem complicata, in morboſa tubera adoleviſſe. Neque forſitan ambigendum de tempore, quo ulcuſcula, ac rhagades excitari eo loco potuerint, cùm principio morbi cor, diù humiliter, atque inæqualiter, pulſans, facultatem facilè dederit ſanguini, erodentibus particulis referto, ut morâ ſuâ labia valvularum exederet. Quid? quòd ipſæ quoque viſcerum, artuumque convulſiones, decurſu morbi ſæpè recurrentes, liberum ſanguinis fluxum à ſiniſtro cordis ventriculo per aortam (præcipuè deſcendentem, polypo ferè obſtructam) in ſingulas partes adeò interturbare potuerunt, ut, validiùs repercuſſis cruoris undis contra prædictas valvulas, fortè ſuâpte naturâ graciliores, iſtæ tandem alicubi findi coactæ fuerint.

X. Quòd

Digitized by Google

*Durantibus valvularũ ſarcomatibus, cur pulſus plerunque æquales perſtiterint.*

X. Quòd verò pulſus, vel cum enormi vitio prædictarum valvularum, utplurimum in Ægro æquales obſervati fuerint, hoc factum puto, quia iſtiuſmodi ſarcomata, utpote mollia, tunc facilè locum ſanguini cedebant, cùm pleno impetu à corde propellebatur; unde minùs reſiſtentes mediam viam omnino liberam aperiebant in aortâ. Secus atque accidit, ubi cartilagineæ, & multò magìs, ubi oſſeæ occurrunt valvulæ, quæ, cùm ordinariis impetibus ſanguinis validè plerunque renitantur (non enim ſemper, ſcilicet cùm major viget in ſanguine vis, ut in acutâ febri, renituntur) illius per arteriam curſum, cum pulſus inæqualitate, retardant.

*Quomodo ſarcomata producendæ ſyncopi cõſpiraverint.*

XI. Illud utique hujuſmodi ſpongioſo-carnei valvularum lemniſci, mole aucti, patrare in Ægroto forſitan potuerunt, ut poſtremis vitæ diebus, dum propter expoſitam ſtrangulationem præcordia contrahebantur, mutuò admoti, atque implicati, quaſi aggerem excitarent contra cominus locata orificia arteriarum coronalium, ſanguinemque ad cordis fibras per id temporis derivari, prohibuerint. Unde lipothymias, ac ſyncopes,

pes, ſi non primùm, ac principaliter inducere, ſaltèm eouſque producere valuerunt, donec, ceſſante ſpaſmo, recenter excuſſa ſarcomata, ad factum ſpatium, proprio potiſſimùm pondere, à prædictis orificiis recederent, liberumque ſanguini iter per cordis ſubſtantiam rurſus permitterent, atque ad ſyncopis ceſſationem contrariâ prorſus ratione conferrent.

XII. Neque hîc tacebimus, polypeam ſubſtantiam, quæ intrà deſcendentis aortæ cavitatem, ex ſæpiuſculis illius tubi contractionibus, & morâ ſanguinis, concreverat, pedum frigiditatem, atque œdemata, diminuto ſanguinis ad extremas partes influxu, peperiſſe.

XIII. Dicendum aliquid ſupereſſet de dextero cerebri cortice, qui flaccidior, depreſſior, ac ſanguine etiam exundante, & concreto gravatus occurrit; nimirum epilepticæ ne, an paralyticæ medietati corporis reſponderet? Et quanquam res, ſub calvariâ latens, ſummam obſcùritatem, ac difficultatem involvat; tamen, cùm, præter Hippocratis, Ballonii, Martiani, Malpighii, Valſalvæ,

alio-

Digitized by Google

aliorumque eximiorum Virorum auctoritatem, noſtra quoque ſuccurrant experimenta, meam ſententiam interponam; probabile ſcilicet fuiſſe, dexterum cerebri hemiſphærium ſiniſtræ corporis medietati, & ſiniſtrum dexteræ reſpondiſſe: itaut ea corticis pars, quæ gracilior, quæque, effuſo preſſa ſanguine, inventa fuit, commercium habuerit cum ſiniſtris artubus, motu, ſenſuque præditis; altera verò, quæ penè nullam, oculorum judicio, labem in ſe continere videbatur, cum paralyſi jam tentatis.

*Dexterum cerebri hemiſphærium ſiniſtræ, & ſiniſtrum dexteræ corporis medietati reſpondit.*

XIV. Ad hujus verò aſſerti probabilitatem duo præcipuè argumenta nos adducunt. Prius eſt, quod paſſim experimento docemur, percuſſos nempe, vulneratos, vel abſceſſu aliquo tentatos in dextero, aut ſiniſtro cerebri cortice, plerunque convulſionem, aut paralyſim in oppoſitis artubus perpeti. Poſterius verò ex hâc eâdemmet hypotheſi deduci poſſe videtur. Etenim, cùm Æger diù laſſitudine quâdam ulceroſâ, ac poſtremò epilepticis quoque artuum medietatis ſiniſtræ ſuccuſſionibus affectus fuerit, veroſimile eſt, illam cerebri partem, quæ prin-

*Hujus experimento Ægri confirmatur.*

principium, ac fons erat iſtorum nervorum, tempore mortis, magìs in eodem laceſſitam fuiſſe, quàm alteram, à quâ nervi penè mortui propagabantur in dexteram, paralyſi detentam. Atquì dexterum cerebri hemiſphærium peſſimè affectum, ac laceſſitum, ſiniſtrum verò nudis oculis ferè incolume inventum eſt. Idcirco dexterum cerebri hemiſphærium dolentibus, & convulſis, ſiniſtrum verò paralyſi tentatis artubus conveniſſe, ac reſpondiſſe, dicendum eſt.

XV. Nec movet, quòd dexterum cerebri hemiſphærium, tabe conſumptum, cum dexterâ medietate, paralyſi affectâ, congruere magìs videretur, quàm cum ſiniſtrâ, alioquin ſenſu, motuque præditâ. Etenim, præterquamquod in præſenti caſu (utcunque ab initio diſcrimen aliquod gracilitatis dexteros inter, ac ſiniſtros artus interfuerit) membra omnia pari tabe paulatim aruerant; illud maximè advertendum, in glandulis, ad quarum ordinem cerebrum refertur, eas graciliores evadere, atque inveniri ſolere, per quas fluida uberiùs ſecernuntur; eas è contrario pleniores, ſaturatioreſque ſer-

*Glandulæ, uberius liquidum ſecernentes, evadunt graciliores, & è converſo.*

ſervari , quæ diù à ſecretionis officio vacaverint . Exemplo ſint ( præter thymum , & hepar in fœtu ) mammæ , & renes , quarum ſanè adenarum ſi altera ab uſu defecerit , major , & craſſior , non minor , & gracilior, deprehenditur . Cùm igitur dexterum cerebri hemiſphærium ſiniſtro magis depreſſum , ſeu gracilius offenderimus , perſpicuum nobis præbuit indicium ad probandum , illius glandulas ſemel admiſſam ſecretionem liquidi nervorum , alioquin acris , uſque ad extremum vitæ diem , quâ ſiniſtrum longo jam tempore caruerat , conſtanter retinuiſſe.



Digitized by Google

# OBSERVATIONES

*Phyſico – Anatomicæ*

NONNULLORUM,

## Qui primo impetu morbi repentè per hæc tempora perierunt.

*POſt Capita præliminaria de improviſis mortibus, earùmque cauſis, quæ iſtorum potiſſimùm decurſu annorum nobiſcum adeò ſæviter egerunt, & poſt deſcriptos caſus aliquorum, qui, ſubitaneis cerebri, ac præcordiorum morbis tentati, per hæc tempora evaſerunt; opportunum certè erit, ut deſcendamus ad obſervationes illorum, qui, primo impetu morbi, vitam repentè cum morte commutarunt.*

*In jis autem commemorandis, illud in primis ſtudebimus, ut hiſtoriæ medicæ ſingulorum, qui deceſſerunt, eâ lege præfigantur extiſpiciis, ut non ſolùm naturalis, ſed præternaturalis quoque illorum hominum ſtatus legentibus præluceat. Mala enim, quæ mortem*

tem

*tem præceſſerunt , manum quaſi porrigunt ad illam inveniendam in cadaveribus cauſam , quæ , diſrupto vitæ filo , animam divulſit è corpore . Quo fit , ut meritò* [a] *Fortunat. Fidel. ſcripſerit :* illud etiam præſtat noviſſe , cùm quiſquam repentè moritur , quânam ſcilicet ægritudine ille correptus fuerit .

*Quo morbo repentè decedens laboraverit , maximè ſciendum.*

[a] De relat. Med. lib. 4. cap. 7.

*Deinde verò dabit , ſpero , veniam ingenuus Lector , ſi , quanquam ex defunctorum Medicis , Amicis , ac Neceſſariis integras tum naturalis , tum præternaturalis eorundem ſtatus hiſtorias haurire ſtuduerimus , adhuc tamen alicubi mancas invenerit , præſertim circa pulſuum anomalias ; ad eos enim , qui improvisò de medio tolluntur , neque Medici accerſiri , neque , ſi accerſiti fuerint , tempeſtivè ſolent accurrere .*

*Supereſt , ut aliquid circa ſcholiorum methodum admoneamus . In jis itaque , quemadmodum curabimus , ut particularis cujuſque ſubitaneæ mortis cauſa extricetur , atque reluceat , ita non omnium ſymptomatum , quæ ſingulos morientes vexarunt , rationes reddemus in ſingulis ; ne ſcilicet , cùm eadem ipſiſſima phœnomena in pluribus ægris obſervata fuerint , recoctam cum nauſeâ cram-*

*bem Lectoribus exhibeamus . Symptomatum idcirco ætiologias hàc illac noſtris aſpergemus in ſcholiis , ut , quæ de induſtriâ deficiunt in ſingulis , deſiderari vix poſſint in omnibus .*

OB-

# OBSERVATIO I.

*Repentina mors ex apoplexiâ ſyncopali in Viro obeſo, & cacochymo.*

## HISTORIA.

ANtonius Maria Brilli Romanus, quinquagenario major, famulorum Eminentiſs. Cardinalis Sacripantis decanus, obeſi admodum habitus, vini, & conjugalis Veneris intemperans; cùm ante annum vagis circa pectus, ac diaphragma doloribus tentaretur, gravi anhelitu, & omnigenâ pulſus inæqualitate urgeri cœpit. Deinde verò urinarum ſenſim inopiâ, ac pedum tumore laborans, futuri ſpeciem hydropis exhibuit; variis propterea pharmacis, & præſertim oxymellite ſcillit., ac ſtomachicis refermentantibus curatus, rurſus lotii copiam obtinuit, apertoque in crure fonticulo, meliùs ſe habuit.

II. Sed quanquam ad Aulæ officia

poſt multos menſes rediiſſet; pravo tamen colore fœdatus, per acclivia anhelabat, atque iiſdem pulſuum anomaliis perpetuò detinebatur. Tandem die 15. Januarii 1706., nocte mediâ, expergefactus, purpurinam quamdam totius corporis efflorеſcentiam, inſtar morbi, qui à Medicis appellatur *eſſerarum* nomine, ingenti cum pruritu, & calore, ſummopere moleſtam perſenſit, à quâ ut alleviaretur, è lecto ſurgens, feneſtram, ſeſe frigidiſſimo expoſiturus aeri, imprudenter aperuit; exinde decubitus, qui utiliter exteriùs factus erat, peſſimo fato interiùs repulſus, è veſtigio brachii ſiniſtri torporem, ſubitò evanidum, induxit. Neque interim Æger, iis auſcultans morbi vocibus, ullam ſibi medelam adhiberi, curavit; ſed poſtridie Aulam adivit, & Eminentiſſimi Purpurati currum pedibus cum cætero famulatu ſequutus fuit, ut tandem viribus fractus, horâ 23. cum dimidiâ diei 17. Januarii, repentè mortuus fuerit in viâ, quæ Parionis dicitur.

*Funeſtiſſima eſſerarum ad interiora repulſio.*

CA-

Digitized by Google

## CADAVERIS DISSECTIO.

TRanſactis viginti quatuor horis, cadaver in Theatro Romani Archilycei, coram Excellentiſs. Viris, ac Doctoribus Lucâ Thomaſſino Protomedico Generali, tribus Conſiliariis, ſcilicet Jacobo Sinibaldo, Antonio Placentio, & Joh. Trullo, duobus Medicis Sacri Palatii Apoſtolici Michaele Angelo Pauli, & Gaſparo Reali, & Publico Anatomes Profeſſore Alexandro Paſcolo, unà cum Chirurgo ejuſdem Sacri Palatii D. Petro Ceſcono, necnon Phyſico, & Chirurgo Carcerum Joh. Latino, & Bartholomæo Simoncello, qui Publicus alioquin eſt Anatomes Miniſter, ab hoc ipſo, adſtantibus etiam Curiæ Judicibus, & Scribis, multoque concurrente Studioſorum numero, diſſectum fuit.

II. Et quoniam externa quoque cadaverum facies nos aliquando erudire ſolet; idcirco in primis advertimus, univerſum corpus mirè obeſum, & pallidum, vultum autem obſcurè adhuc ingenti cum tumiditate rubentem occurriſſe; ex quo factum eſt, ut, antequam, detractâ calva-

*Ex cadaveris facie quandoque Medicus eruditur.*

va-

Digitized by Google

variâ, ipſius cerebri ſtatus nobis innoteſceret, rumoris neſcio quid afflaverit in Theatro, aliquibus, ſanguinem, è vaſis largè effuſum, ſub cranio inventum iri, augurantibus. Sed o vana, & incerta judicia hominum, quorum lingua oculos, mentemque præcurrit!

*Effuſus ſub cranio ſanguis pro mortis cauſâ perperam hîc accuſatur.*

III. At verò, ut rem conſveto perficeremus ordine, abdomen principio ſecuimus, quod multo adipe refertum erat. Zirbus, obſtructis ſuis glandulis, craſſiuſculus. Inteſtina tenuia venis ſanguine tumentibus aliquantulùm rubentia. Ventriculus prægrandis, & laxus. Lien naturali mole major. Hepar paulò auctius, ſed colore prope naturali, cujus interim cyſtis, cùm forinſecus albicans obſervaretur, exactiori locum fecit examini; poſtquam verò illam aperuimus, non bilem, ſed verum pus continere, atque internâ ſui ſuperficie variis ulcuſculis laceram, raro quidem exemplo, deprehendimus.

*Pus, & ulcera in cyſti felleâ deprehenſa.*

IV. Ab ipſo deinde abdomine in thoracem per amotum ſternum reſeratâ viâ, ſtatim multa circa pericardium flaveſcentis adipis copia (qua cordis quoque baſis gravabatur) ſe obtulit. Pulmo ſolito depreſ-

preſſior. Cor verò prægrande inventum eſt. Dextera auricula cum appensâ venâ cavâ, quæ modicam nigri ſanguinis quantitatem continebat, duplo certè naturali diametro amplior apparuit. *Summa cordis amplitudo.*

V. In ſiniſtro ventriculo maxima picei cruoris moles claudebatur. Arteriæ pulmonica, & aorta, finitimæque cordi tracheales partes multo adipe refertæ, glanduliſque quibuſdam obſeſſæ, mutuum niſum, & compreſſionem oſtendebant.

VI. Tandem, cùm ad cranii ſectionem Chirurgus accederet, ſciſſis, diductiſque tegumentis, ſuper dexterum latus oſſis ſincipitis offendit in cranio foramen, per quod (cùm pericranium dumtaxat aditum intercluderet) majus ſpecillum ad uſque duram meningem, alioquin laxam, facilè intulit; atque, elevatâ calvariâ, cuniculum illum intrà oſſis lamellas à generationis fortè primordiis fuiſſe reſeratum, indè judicavimus, quòd orbiculus non aſper, ſed lævigatus inventus fuit. Cæterùm in ſuperficie cerebri ſubobſcura vaſorum ſanguineorum turgeſcentia, & modica quantitas turbi- *Duræ meningis laxitas.* *Cranii foramen forſan innatum.*

di

Digitized by Google

di ſeri in ventriculis ſpectabatur. Sinus longitudinalis, & laterales, atque ji etiam, qui ad cerebri baſim poſiti ſunt, nigro ſanguine tumebant, ut non fuerit dubitandum, quin ſolito major cruoris quantitas intrà cranium intercepta fuiſſet.

## *SCHOLIUM.*

IN hujus veſtibulo ſcholii opportunè occurrit conſilium, verè ſapiens, ac rectum, quo Gulielmus[a] Ballonius Medicos admonet, ut caveant prædicere, ſe deprehenſuros aliquid in capitibus illorum, qui ex cerebri morbis interierunt. Etenim, cùm una, eademque affectio à variis, atque inter ſe non diverſis modò, ſed ſæpe contrariis, diverſèque operantibus, cauſis oriri poſſit, raro fit, ut Medicus illam, quam incautè præcinerat, cauſam in diſſectione cadaveris inveniat. Quod ſanè extiſpicii hujus teſtimonio, omnium cum admiratione, comprobatum fuit; nullum enim effuſum in cerebro ſanguinem offendimus, quem aliqui adeò confidenter prædixerant. Igitur, ut nos, ſicut cauti fuimus

[a] In comment., & annot. ad hiſtor. 1. l. 2. conſil.

*Medico cur multâ opus ſit cautelâ in prædicendis interioribus cadaverum læſionibus.*

mus in prænunciando, ſimiliter in hujuſce ſubitaneæ mortis cauſis evolvendis ab erroris periculo longiùs abeamus, è re arbitramur annua iſtius Ægri mala diligenter inveſtigare: quò namque remotiores ab obſervantium oculis repentinarum mortium cauſæ in diſſectis cadaveribus eſſe videntur; ita curioſiorem diligentiam poſtulant, ut eruantur, & pateſiant. Porrò nonnulla inventa, etſi non raró in extiſpiciis nihili fiant, ex quo apud minùs verſatos in rebus anatomicis minima putantur; ea tamen magni æſtimanda ſunt, quoties cum languidulis viſcerum fibris luctari, minimiſque vaſorum anguſtiis intercipi potuerunt.

*Mala, quæ mortem præcedunt, diligenter inveſtiganda.*

*In extiſpiciis, etſi minima offendantur, magni æſtimanda.*

II. Primò itaque extra omnem dubitationis aleam poſitum per hiſtoriam cenſeo, hominem hunc ab anno ex cachexiâ valetudinariam vitam duxiſſe, cum labefactato fibrarum tono, & cum degeneribus à naturali craſi fluidis, quæ ad viſcido–acrem naturam evecta erant.

*Series morborum, ſubitam necem præcedentium.*

III. Secundò ex cadaveris diſſectione conſtitit, Ægrum loco cyſticæ bilis, quæ balſamico–amaricans eſſe debet, acre–putridum pus multò priùs, quàm diem



Digitized by Google

ſuum obiret, foviſſe; non enim ulcera momento temporis ab erodente liquido viſceribus inſculpuntur. Hoc autem pus facere non poterat, quin, everſo naturæ ordine, chylum non modò non defæcaret, ſed exoticis particulis imbueret, novamque labem ſanguini jugiter communicaret.

IV. Tertiò his addamus ex hiſtoriâ, Ægrum eò tandem perveniſſe, ut acria corpuſcula, jiſque commixtam ſulphuream lympham (erat enim vinoſus) plenè cumulaverit, quæ profectò corpuſcula ab univerſo ſuorum vaſorum, ac viſcerum fibroſo genere, inductâ irritatione, ad externa corporis ſub formâ eſſerarum propulſa fuerunt; cui ſanè propulſioni, niſi Ægrotus intempeſtæ noctis frigore imprudens fuiſſet obnixus, proculdubio indè levamen accepiſſet. Sed, cùm iſtius critici decubitus materies intrà vaſa repulſa, atque in cerebro, & ſpinalis medullæ principio intercepta fuerit, ſiniſtri torporem brachii produxit, qui, ex tempore ſolutus, indicium præbuit, ignem non extinctum, ſed doloſo in cinere latuiſſe ſepultum; cauſam nem-

*Ex repulſis eſſeris, brachii torpor.*

nempe morbificam è corpore nequaquam eductam, ſed, partim ſanguini confuſam, partim viſcerum folliculis interceptam, delituiſſe.

V. His verò poſitis, facile eſt conjicere, cauſam ſubitaneæ hujus mortis fuiſſe copiam craſſeſcentis ſanguinis, & ſeroſitatis, quæ quidem fluida, oleoſo-volatilibus partibus deſtituta, & fixis ſalibus redundantia, propriæ fluxilitatis inopiâ per meningum arteriolas, per ſinus, ac per reliqua cerebri vaſa hærere cœperunt, ubi, debilitatis, ob ſpirituum paucitatem, in violento etiam corporis motu erogatorum, fibris muſcularibus duræ matris, ac villis omnibus, corticem cerebri, ac cerebelli intertexentibus; & inductâ ob ſanguinis remoram tam preſſione ſupra fibras, & glandulas ejuſdem corticis, quàm obſtructione intrà oſcilla ſecretoria liquidi nervorum, repentina ſuborta eſt ſyderatio liquidorum, & ſolidorum in cerebro, quam fortiſſimam dicimus apoplexiam cum mortiferâ syncope, quæ noſtro in caſu corripuit, non ſolùm propter deficientem deſcenſum ſpirituum à cerebro, & cerebello in præcordia;

*Undenam ſyncope mortifera in hoc Ægrotante.*

dia ; ſed propter concurrentem renitentiam ad motum craſſi, & reſinoſi ſanguinis, per cavitates cordis tunc temporis devoluti.

VI. Hoc autem indè arguitur, quòd iſto in homine lympha viſcidulo-acris, quæ per duos dies ante obitum eſſeras produxit, cùm à ſuccutaneo organo intempeſtivè repulſa fuerit, nullam excitaverit febrim, quâ aut cum cæteris maſſæ principiis exactè, atque impunè rurſus commiſceri, aut per alia ſecernicula utiliter trudi potuiſſet. Factum proindè eſſe videtur, ut fluida, diſſipatis poſtridie per laborioſum pedeſtre iter volatilibus particulis, quibus utcunque, in cerebro præſertim, fluxilia reddebantur, ex tempore ſubſtiterint, inductâque paralyſi in meningibus, ac totâ cerebri ſuperficie, invincibilem, quam fortiſſimam dicunt, apoplexiam, [a] Senibus alioqui familiarem, pepererint.

*In hoc excitata febris ſubitam mortem forſan avertiſſet.*

*Paralyſis mēbranarum, & corticis cerebri, ac cerebelli.*

[a] 6. aph. 57.

VII. Firmant deinde noſtras à priori conjecturas ea, quæ in cadavere palam occurrerunt. Quid enim aliud tumida, & ſubruſa vultus, & meningum ſpecies? Quid ſanguineorum vaſorum in univer-

sâ

ſâ cerebri ſuperficie turgeſcentia ? Quid ſinus omnes, nigro ſanguine oppleti, demonſtraverunt, niſi maximam fuiſſe humoris minùs mobilis quantitatem, quæ, intrà cranium intercepta, tum circumpellentium fibrarum tonum enervare, tum vel maximè ſecretrices cerebri glandulas oppidò premere, ac validè obſtruere potuit; unde lethalis ſpirituum animalium inopia inducta fuit; præſertim cùm apertiſſimè conſtiterit, plus acrium ſeroſitatum, & viſcidorum humorum, quàm oleoſo–volatilium particularum diù ægro in corpore redundaviſſe ?

*Cranii foramen an duræ matri infirmandæ contulerit ?*

VIII. Hoc tandem breviter admonemus, non fruſtra aliquem ſuſpicari poſſe, num repertum in cranio foramen ad infirmandum robur duræ matris conferre aliquid potuerit. Etenim apud hominem, qui ferè ſemper pro ſuo munere ad obſequia, nudato capite, incedebat, cuniculus iſte aeri, aerique innatantibus corporibus fortè minùs, quàm natura poſtulat, obnitebatur. Si quis enim ab Ægro, dum adhuc erat inter vivos, ſciſcitatus fuiſſet, an aliquam ſub perfora-

to

Digitized by Google

to cranio in magnis temporum mutationibus moleſtiam perſenſiſſet, eam probabiliter faſſurum fuiſſe, indè arbitramur, quòd, qui ex ſyphilide cranii deſquamationem paſſi ſunt, ferè ſemper de læſione ab externo frigore conqueruntur, cerebrique mala facillimè ſubeunt.

*Cranio ob ſyphilidem deſquamato, cerebrum facilè afficitur.*

IX. De cætero viderint alii, quænam extiterit origo raræ illius exulcerationis, quæ in cyſti felleâ inventa eſt. Nos enim, qui hujus primordia ægritudinis penitus ignoramus, illud hîc pro coronide tantummodo adjicimus, ſæpe detexiſſe morbidam quaſi radicem, vel ſaltèm conjunctam propaginem earum ſpirandi difficultatum, quæ, ex hypochondriis ortæ, ad hydropem tendunt, in ipſo fellis folliculo altè implantatam; modò nimirum in lixiviali, fluidâque nimis, modò in tenaciori, atque in lapides converſâ bile, ut non ſit dubitandum, quin vitium tam enorme ipſius cyſtis felleæ ad morbos iſtius Ægri maximè conſpiraverit.

*Cyſtis felleæ vitia multorũ pectoris morborum radix.*

X. Neque ſimiliter immoramur in perſequendo impedimenta præcordiorum, ac præſertim arteriarum pulmonicæ, & aortæ, partiumque trachealium, multo adi-

Digitized by Google

adipe, auctiſque glandulis obſeſſarum: non enim cauſas inquirimus annui anhelitus, pulſuſque inæqualitatis, quæ à præternaturali, mutuoque vaſorum niſu pendere potuerunt.

---

# OBSERVATIO II.

*Subita mors ex ſyncope ob cordis magnitudinem, prolapſum, atque aneuryſma.*

## HISTORIA.

FAmulus olim curſor Illuſtriſſimi Marchionis Spadæ junioris, nomine Philippus Turci Romanus, annorum circiter viginti quinque, habitus gracilis, ſtaturæ mediocris, pallidi coloris, anhelitu in levibus etiam corporis motibus detineri ſolitus, ante annum laboravit ſuffocativâ anginâ, à qua, ter miſſo intrà diei ſpatium ſanguine, liberatus fuit, ſuperſtitibus tamen majori ſemper ſpirandi difficultate, & recurrente interdum

*Series ſymptomatum, quæ cordis magnitudinem, & prolapsũ oſtendit.*

cor-

cordis palpitatione, præſertim cùm citato greſſu ambularet, unà cum ſepulto præcordiorum angore, & quodam pulſatili pondere ſupra diaphragmatis centrum. Quæ quidem mala eòuſque adaugebantur, ut illum, vel inter comedendum, atque ab aſſumpto potiſſimùm cibo, deteriùs haberent. Hic, die 4. Februarii ineuntis hujus anni 1706. tametſi manè faucium phlogoſi, & quibuſdam ad uſque collum, & jugulum exporrectis contractionibus detineretur, pedibus nihilominus Herum ſuum per quingentos circiter paſſus proſequutus fuit. Domino verò alicubi diutiùs fortè morante, ipſe cum ſocio in cauponâ largè, ac ſinè delectu comedit, ac bibit; deinde domum reverſus poſt horam, cùm frigore corriperetur, apud fœminam ſe recepit, calefaciendi causâ ad ignem, qui ſemi-accenſis carbonibus medio ardebat in cubiculo, ubi paulo poſt (fortè an etiam ex œſtro venereo?) levi primùm capitis debilitate, deinde frontis, totiuſque corporis madore cum vehementiſſimo anhelitu, cordiſque angore, tandem ſyncope, in mortem ſtatim deſinente, correptus fuit.

CA-

Digitized by Google

## CADAVERIS DISSECTIO.

APerto abdomine, inteſtina tenuia aliquantulùm ſubrufa; cætera verò naturalia viſcera à nativo ſtatu parùm receſſiſſe, præterquam paulò turgidiora, ac veluti murice ſubtincta viſa fuerunt.

II. Morborum, & ipſius necis ſedes apparuit potiſſimùm in thorace, quo reſerato, pulmones ſubalbidi, & dexter eorum coſtis legitimis tenaciter adhæreſcens, oculis adſtantium ſeſe objecerunt.

III. Fauces rubore perfuſas, aſperam arteriam ſubſtantiâ gelatinæ non abſimili, fuligineo tamen, ac ſubnigro interiùs colore, refertam cernimus. Rami bronchiales phlogoſi pariter, ac veluti aſperitate quâdam laborabant.

IV. Cor mole triplo naturali majus; vaccinum certè ſuperabat, cùm, ablato pericardio, & expreſſo omni cruore, pependerit in lance libras duas, & ſemis. Hoc ſanè viſcus ſupra diaphragma ceciderat, ac proindè œſophagum, aortam, ac ventriculum facilè premebat.

*Cordis moles aucta, & prolapſus in diaphragma.*

V. Deinde, etiamſi externâ facie natu-

ralem ſervare videretur figuram, ſectum tamen novam philoſophandi materiem ſolertioribus naturæ Veſtigatoribus præbuit. Auricula enim, & ventriculus dexter ſanguine vacui, ſed ordinariæ diametri, contra verò ſiniſtræ cavitates nigro plenæ cruore, & duplo dexteris latiores occurrerunt. Arteria magna juxta cor pariter perampla.

*Siniſter cordis ſinus duplo major dextero.*

VI. Secto cranio, pia mater cum vaſis ſolito tumidioribus ſe nobis præbuit. Cortex cerebri in ſuperficie utriuſque hemiſphærii versùs poſticam partem calloſo quodam glutine tenaciter duræ matri adhærebat. Plexus denique conſtabant ex vaſis ſanguine plenioribus.

## *SCHOLIUM.*

NE prolixitas moroſa, neve brevitas in hâc attingendâ ætiologiâ evadat obſcura; ſedulus Lector primò diſtinctè, mox verò promiſcuè animadvertat primò nativum Ægri temperamentum, & graviſſimos morbos, quibus miſer homo per annum ante mortem torquebatur; ſecundò

dò proximas necis occaſiones; tertiò ea omnia, quæ in illius cadavere obſervata fuerunt. Hæc enim, ſpero, ſatis luminis accendent, ut claras ſubiti hujus interitus rationes videre poſſit.

II. Quanquam verò ſingulæ affectiones, & cauſæ, quæ Ægrotum hunc detinuerunt, diviſis ſuarum virium momentis, præcocem, ſubitamque necem afferre vix potuiſſent; univerſæ tamen, momento compoſito, eandem facillimè induxerunt. Quod ſanè minimè arduum videbitur, ſi quot, & quomodo iſtiuſmodi cauſæ ad ſupremam, atque inopinatam Ægri perniciem conſpiraverint, diligenter expendamus. Non enim una, eaque ſimplex, aut interna ſolùm cauſa, ſed multiplex, & tum externa, tum interna, vetus, ac recens ad improviſum illius interitum conjuravit.

*Multiplices hujus improviſæ necis cauſæ.*

III. Hoc ſanè evidenter conſtabit, ſi duo ante omnia, quippe quæ admodum probabilia, adverſam iſtius valetudinem præceſſiſſe, intelligamus; alterum nativum ejuſdem temperamentum acre-biliofum, unà cum ſolito grandiori corde, ac paulò debiliori texturâ ſiniſtri ventri-

*Ipſarum enumeratio.*



Digitized by Google

culi, atque aortæ, quæ ſanè res hominibus, præ cæteris animalibus, non raro contingunt; alterum verò adventitium, nimirum intemperans, atque intempeſtivè exagitatum Curſorum vitæ genus, per quod non tantùm fluida ad acrem-volatilem naturam, in gracilibus præſertim corporibus, evehuntur; ſed aeris quoque viæ, & pendulum intrà thoracem cor perpetuâ concuſſione, ac divulſione labefactantur. Ita certè clara habebimus principia, unde cauſas derivemus non modò ſuffocativæ anginæ, ſed, quod caput rei eſt, lethalis prolapſus, & aneuryſmatis cordis. Cùm enim præcordia per arterias, & venas claviculis, axillis, & collo, perque pneumonica vaſa pulmonibus alligentur; cùmque pulmones per aſperam arteriam, ac per laryngem, veluti per funem, à jugulo, & faucibus propendeant; facile eſt concipere, infirmiora ex anginâ, & magìs adhuc ex fluidorum acredine, & curſorio vitæ genere reddita hujuſmodi ſuſpenſoria, ægriùs poſtmodum valuiſſe ad renitendum deſcenſui præcordiorum, quæ, ſolito magìs ex mole gravitantia, ſuis etiam rela-

*Præcordia in Curſoribus cur facilè labefactentur.*

*Mechanicus cordis prolabentis modus.*

xatis, exeſiſque proximioribus membranarum funiculis, neceſſariò ex lege gravium ſupra diaphragma lapſarunt.

IV. Cùm verò multarum officia partium apud animalia regantur, aut offendantur mutuo contactu, ac niſu, vel diviſione, ac diſſociatione; utique fieri non potuit, quin, gravitante corde præter naturæ ordinem ſupra diaphragma, & diaphragmate ſupra ſtomachum, indè non ſolummodo reſpiratio læſa, ſed, tumente ex cibis ventriculo, arteria magna deſcendens (quæ ſub corde ſeptum tranſverſum præterlabitur, ſtomachoque ſubſternitur) validè compreſſa fuerit. Hinc fiebat, ut ſanguis, impeditâ liberâ ſuâ trajectione, ac devolutione per inferiores arterias, neceſſariò quoquo modo alternè repelleretur versùs ſuperiores arterias, atque in eundem ſiniſtrum cordis ventriculum, à quo viciſſim fuerat extruſus: ibique arietatio quædam nixûs trudendi, ac renixûs truſi jam cruoris ab aſſumpto potiſſimùm cibo (quo ſanè tempore ventriculus aortam valentiùs premit) ſub angoris, ac palpitationis ſpecie proficiſcebatur.

*Cur maximè ab aſſumpto cibo reſpiratio, & cordis palpitatio ingraveſcerent.*

V. Et

V. Et quoniam ex hac unâ radice præpediti motus liberi ſanguinis per deſcendentes arterias ſexcenti malorum frutices ſuccreſcere potuerunt; mirum ſanè haud erit, ſi nos indè principium derivemus dilatationis tum arteriæ magnæ, tum vel maximè ſiniſtri cordis ventriculi (quas quidem partes nativâ debiliori texturâ laborare, poſuimus) necnon adhæſionum pulmonis, congeſtionis lymphæ, calloſi inſtar glutinis, in cerebri ſuperficie, tandemque, concurrentibus externis cauſis, etiam ſubitæ mortis.

*Morboſæ præcordiorum dilatationis origo principiis hydrometricis illuſtratur.*

VI. Etenim, cùm clarè conſtet ex hydrometricis principiis, impedito, vel diminuto ex communi aliquo alveo per unam, vel alteram fiſtulam aquarum excurſu, illico in proximos canales lymphas majori copiâ derivari, atque confluere; immo eaſdem lymphas, ad rationem impediti liberi excurſus, ad ipſum quoque alveum reflecti; ut, quæ ſucceſſivè fluxuræ eſſent, in eodem parumper ſubſiſtant; ſatìs dilucidè apparet, cur in homine iſto cruoris excurſus, per inferiores arterias ob expoſitas compreſſiones alternè diminutus, alternè pariter

ma-

Digitized by Google

majori copiâ, & vi versùs cor, & in ſuperiores arterias fuerit derivatus; facilèque propterea non ſolùm faucium phlogoſes, & capitis congeſtiones induxerit; ſed etiam in ſiniſtro cordis alveo dilatationem, ſi non primùm producere, ſaltèm adaugere potuerit.

VII. Porrò cùm fluida, præſertim incompreſſilia, ferè induant naturam ſolidi, quotieſcunque in anguſtum alicubi tubum violenter, ac pertinaciter urgentur; idcirco planum eſt intelligere, ſanguinem, cùm à corde violenter intrà compreſſam arteriam truditur, vectis, cuneique potentiam induere, tantò quidem majorem, quantò magìs locali ejuſdem motui acutæ durorum ſalium figuræ copulantur. Nihil igitur mirum, ſi apud hunc Ægrum, ex impulſo ſanguine intrà impeditam aortam, eoque reverberato versùs ſemilunares valvulas, idem truncus, & ſiniſter cordis ventriculus (texturâ alioqui debiles) dilatati fuerint; diſtractivæ namque percuſſionis, ac repercuſſionis vi adjuncta fuit in ſanguine energia cunei erodentium ſalium, qui fibroſum earundem cavitatum contex-

*Sanguis, intrà compreſſã arteriam violenter truſus, cunei potentiam induit.*

textum, repetitâ toties extruſione ulteriùs debilitatum, paulatim diloricare potuerunt; quibus factum puto, ut viſcus hoc (remorante etiam ſanguine in minimis coronariis, proximiſque diſtentarum fibrarum ſpatiolis) gravius ſemper, ac majus evaſerit, ſuique idcirco prolapſus, & ſepti tranſverſi, aortæque compreſſionis cauſam longè magìs adauxerit.

*Coniectura de tardiori ſanguinis motu per aneurysmaticum lævum cordis ſinum.*

VIII. At verò, cùm ex [a] hydrometricis ſectiones inæquales vaſorum, per quæ fluida moventur, eorundem fluidorum velocitatibus ſint reciprocæ; ſequitur, ut, enervatis fibris impellentibus, ſi lævæ cordis cavitates duplo majores dexteris detectæ fuerunt, duplo etiam tardior extiterit motus ſanguinis in ſiniſtris, quàm in dexteris; eòque magìs, quò diſtracta, & ampliata ſiniſtri ventriculi latera in qualibet ſyſtole ad mutuum pervenire contactum, omnemque à ſe cruorem in aortam expellere, atque elutriare nequiverint, quo ſanè copiosè ſubſiſtente, liberis tum ipſius cordis motibus, tum influentium à pulmone liquidorum undis, nova ſemper augebatur renitentia. Exinde maxima eruitur cauſa

[a] Bened. Caſtell. in demonſ. menſ. aquar. current. prop. 3.

ſa

ſa tum ſepultæ præcordiorum anguſtiæ, & gravitatis, quâ poſtremò Æger deceſſit, tum inventæ in cadavere ſtagnationis ſanguinis intrà ſiniſtrum dumtaxat ventriculum. Etenim cùm eò res in Curſore iſto devenit, ut ſimul conſpiraverint minor animalium virium potentia ad conſtringendum cor, & major cordis, ob adauctum ſuum pondus, renitentia ad motum; tunc hercle vires circumpulſivæ in cordis ventriculis ad eam rationem, & inter ſe, & cum contentis cruoris molibus pervenire debuerunt, quam invicem habebant ſectiones cavitatum, & reſiſtentiæ vaſorum. Sed quoniam dexter ventriculus naturali diametro donabatur, & pulmonum vaſa nullo apparenti vitio afficiebantur; ſiniſter verò ſinus duplâ diametro laborabat, & arteria magna perampla ab ipſo corde, & ſtomacho validè premebatur; idcirco apud Ægrum ſuperſtes major vis in dextero cordis ventriculo minorem ſanguinis quantitatem liberè, majorique velocitatis gradu in pulmonica vaſa impellere potuit. Contra verò ſiniſter ventriculus, propter minorem ex dilatatione vim, majorem ſan-

*Expoſita conjectura novis rationibus cõfirmatur.*

Ll gui-

Digitized by Google

guinis molem in præpeditam aortam expeditè trudere prohibebatur; quæ certè cruoris remora precordiorum anguſtiam, tandemque mortiferam ſuffocationem, ac ſyncopem induxit.

IX. Neque verò hic animus eſt longiùs perſequi rationes diverſarum lymphæ concretionum, quæ à ſalino-acrium cum oleoſis miſcellâ particularum in locis minoris motus, aut majoris impedimenti apud valetudinaria corpora, & noſtrum præſertim Ægrum, cum in pulmone dextero, tum in ſupremo cerebri cortice contigerunt. Etenim ſatìs ex chymicis tentaminibus innoteſcit, acria, ſulphureis admixta, invicem coaleſcere, præſertim apud vinoſos: unde ſpiritum vini cum urinæ ſpiritu in tenax corpus facillimè abire, videmus.

*Lymphæ concretionũ cauſa ex chymicis.*

X. Cæterùm, ut omnes hujus necis cauſas breviter perſtringamus, repetere cogimur, ex cerebri vitio minus ſpirituum, quàm naturalis hujus hominis poſtulabat œconomia, aliquantò priùs tempore mortis ſecretum fuiſſe; unde virium debilitas, ex præcordiis orta, major adhuc reddebatur ex diminutâ per

ce-

Digitized by Google

cerebri corticem liquidi animalis ſeparatione, quæ ob calloſum inventum ejuſdem glutinum ultro ſe nobis obtulit. Factum proindè fuit, ut ad repentinum interitum Ægri ſimul conſpiraverint primò nova partium ſalino-acrium in fluidis exaltatio, quæ ex poſtremâ faucium phlogoſi apertiſſimè innotuit; ſecundò motus corporis, dum quiete indigebat; tertiò ingluvies, & vini abuſus, cùm diætâ opus erat; quartò ſuffocativa bronchiorum irritatio ex carbonum fumo, qui in cadavere per fuligineum tracheæ colorem in apertum ſe dedit; tandem (ſi fortè acceſſerit) Veneris œſtrum, quod ſpiritus, maximopere impuros, ac perturbatos, in novum, atque omnino improportionatum motum circa præcordia agere potuit. Unde cor ipſum, ſuâpte naturâ magnum, &, ſanguine ſubſiſtente, gravius redditum, ob exiguas animalium ſpirituum vires ab omni penitus motu conſtantiſſimè defecit.

*Cauſarum ad hanc ſubitam necem conſpirantium epilogus.*

*Fuligineus tracheæ color ex fumo carbonum.*

XI. Sed, niſi hîc longè de ſcholii cancellis abire vererer, profectò exemplis etiam oſtendere poſſem, quàm facilis via ſit ad præcocem, inopinatamque mor-



Digitized by Google

tem nimis aucta cordis moles, ejuſque prolapſus. Unum tamen caſum, noſtro quippe ſimillimum, à [a] P. Marchetto deſcriptum, coronidis loco afferre liceat. Venetus quadragenarius, crapulæ deditus, anhelitu, & hypochondriorum anguſtiâ detentus, multis fruſtra adhibitis remediis, Patavium petiit, ubi poſterâ nocte repentè objit: in cujus cadavere nihil præter naturam intrà abdomen ſe prodidit; verùm in thorace cor adeò amplum obſervatum fuit, ut tria naturalis magnitudinis æquaret: ventriculis itidem ampliſſimis, ſuæ capſulæ ubique preſſiùs adhærebat; ſuperioribus, ac lateralibus partibus pleuræ etiam adnexum; inferiori verò eidem diaphragmati. Scilicet, ut minimè ſit hæſitandum, adauctam cordis molem, ſitumque ex prolapſu vitiatum, ad repentinam denique mortem conducere. Neque fortè ab hoc abludit caſus, quem refert Gul. [b] Harveus ſatìs curioſum, & eleganter deſcriptum. Sed circa ſolito majorem cordis molem ea, ſi exciderint, repetantur, quæ diximus lib. pr. cap. X. num. III.

[a] obſerv. 49.

[b] exer. 3. de circul. ſang. pag. 253.

XII. Quòd ſi verò malum hoc corripiat

Digitized by Google

piat hominem, in victu, ac motu ſatìs temperatum; tandem hydropis ſpeciem induit, pedum œdemate, nocturnâ orthopnœâ, jugularium venarum palpitatione, urinarum paucitate, atque angore paulatim inductis. Nec interim deerunt fortè Medici, qui, hujus ignoratâ morbi radice, non hydragogis modò, & mercurialibus, ſed multis veſicantium, uſtionumque tormentis Ægros extorqueant. Verùm de jis fusè in noſtro de Aneuryſmatibus Tractatu.

*Cordis prolapſus quandoque hydropis ſpeciem induit.*

---

# OBSERVATIO III.

*Cita mors ob interceptum motum aeris, & ſanguinis in præcordiis, unà cum cerebri conſenſu.*

## HISTORIA.

IOannes Baptiſta Avanzius, octodecim annos natus, D. Cæciliæ de Nobilibus famulus, ex orâ maritimâ Romanæ ditionis malam, circa præteritum autumnum, reportavit

va-

Digitized by Google

valetudinem. Hinc pravo vultus colore cum anhelitu laborioſam vitam Romæ ducebat, improbâque victus ratione uſus, cùm planè imbecillis eſſet, tamen adhuc ſerviebat. Præcedenti ſuum interitum veſpere, largâ caſtanearum copiâ ſe ingurgitavit, noctemque proindè valde moleſtam, ex ſpirandi præſertim difficultate, tranſegit; & in eâ quidem, poſt vomitum viſcidorum humorum, cùm meliùs habere crederetur, ſequenti tamen die quæ fuit 3. Febr. 1706. mortuus repertus eſt, è cujus ore ſpumoſa lympha, ut ex naribus filamenta ſanguinis pendebant.

## CADAVERIS DISSECTIO.

CAdaver poſt 24. horas inventum eſt cum latice ſanguineo, ex ſiniſtrâ nare profluente, & cum thorace ſolito elatiori, ac tumidiori. Sectis tegumentis, occurrerunt inteſtina tenuia aliquantulùm rubicunda, & intrà abdomen modica quantitas ſeri ſanguinei. Lien prægrandis, ac plumbeus, ponderis exactè librarum quatuor cum dimidiâ. Hepar ſanum dixiſſes, ſi bi-

bilem ſubviridem ſuâ in cyſti contentam excipias. Cætera naturalia viſcera vix cum notabili labe inventa.

II. Elevato ſterno, ſerum in utrâque pectoris cavitate magnâ copiâ offendimus, & pulmones, coſtis colligatos, non ordinariâ quidem ſuperficierum cohæſione, ſed per albas quaſdam, teretes, ac verè nerveas fibras, quas, oculo judice, tendines putaviſſes. E cordis vaſis, & cavitatibus ſanguis nigerrimus extractus eſt, grumis, non in unum tenaciter coagulatis, ſed atrâ cum tincturâ diffluentibus. Dexterum cordis ſinum inſignes polypi, certè plùs unciâ pendentes, ferè univerſum opplebant; ſiniſtrum verò exiguus occupabat. Cordis, pulmonumque parenchymata ſummopere flaccida tractabantur.

*Tendineæ fibræ pulmones coſtis colligantes.*

III. Digni quoque animadverſione fuerunt pulmones, qui, manu preſſi, ut à colligatione cum coſtis divellerentur, cruento latice per dehiſcentes quoſdam in ſuperficie meatus facilè manabant.

*Latex à compreſsâ pulmonis ſuperficie manans.*

IV. Circumſecto cranio, & durâ matre, pia occurrit, ſolito rubentior, turgidis ſanguine vaſis. Quinimo cerebri

ſu-

Digitized by Google

ſuperficies, diductis duobus hemiſphæriis, uſque ad corpus calloſum eâdem tincturâ laborabat. Apertis ventriculis anterioribus, ſerum limpidum effluxit, & plexus, qui intus ſerpunt, ex vaſis ſolito tumentioribus conſtabant. Tranſverſales quoque duræ matris ſinus nigro ſanguine opplebantur.

## *SCHOLIUM.*

DUbium ſanè in primis oriri poſſet, an mors iſta purè ſubitanea dicenda fuerit, quippe quam longus integræ ferè noctis agon præceſſit; ſed, cùm diſſectum cadaver quædam animadverſione noſtrâ oſtenderit non indigna; idcirco promiſcuè citum hunc cum aliis improviſis interitibus uſurpabimus.

II. Illud utique non dubium eſt, hujus mortis cauſam fuiſſe intercluſam penitus circulationem ſanguinis in præcordiis, & cerebro, quam magnus Hippocrates ſub genere fortis apoplexiæ comprehenſam quoque voluit, ut optimè philoſophatur egregius ille Hippocraticæ do-

doctrinæ aſſertor [a] Martianus, ubi oſtendit, aliquando apoplexiam fieri interceptis vaſis in thorace; quia ſcilicet animadvertit, jis in partibus maximè apparere effectus interclusionis, difficultatem ſcilicet reſpirationis, & anguſtiam. Hinc aliàs citatus Eruditiſſimus Fracaſſatus apoplexiam, impedito motu ſanguinis in pectore, ſæpiùs per anatomen oſtendit. In caſu ſiquidem noſtro mortem præceſſit anhelitus, & non minùs intrà cerebrum, quàm intrà pectus, clara indicia moræ ſanguinis, quam Hippocratis Interpretes *ſtationem* vertunt, detecta fuerunt. Quid enim cordis polypi? Quid ſanguis effuſus per inteſtinorum ſubſtantiam, & remoratus in meningum vaſis? Quid tandem exundans cum intrà pectus, tum intrà cerebrum ſeroſitas oſtendit, niſi, oppilatis, convulſiſque pulmonum, cordis, ac cerebri tubulis, lymphatica præſertim vaſa hàc illac diſſiliiſſe, & ipſa quoque ſanguiferorum extrema eòuſque diducta fuiſſe, ut ſecernendo ſero vitiosè dehiſcerent?

[a] In com. ad tex. 2. de morb.

*Apoplexia ob vaſorum thoracis interceptionem ex Martiano, & Fracaſſato.*

III. Quoniam verò res quærimus, non verba, brevem idcirco, dilucidamque ætio-

*Morbi, & mortis hujus ætiologia.*

ætiologiam cum morbi, tum mortis exponi poſſe, arbitramur, ſi nobis proponamus Adoleſcentem, qui ex malâ victus ratione, & maximè ex diutinâ morâ, autumnali tempeſtate, in hujus maris littore (ubi autumnali tempeſtate ſummopere noxius eſt aer) vitia fermentorum, ac ſanguinis abunde contraxit, indèque labefactato viſcerum, vaſorumque tono, illud[a] Luciani ſcomma adverſùs Romanos tantò juſtiùs promeruit, quòd non ſolùm æger ambulaverit, ſed quòd æger ſanis, & valentibus famularetur: eò propterea devenit, ut contumacioribus ſemper redditis in liene obſtructionibus, inductâque ſenſim polyporum congeſtione in cavitatibus cordis, ille non aſthmate dumtaxat detentus fuerit, ſed ad pectoris hydropem properaverit. In hoc autem rerum ſtatu conſtitutus, cùm die ante ſui interitûs noctem inſalubri caſtanearum cibo largiùs uſus eſſet, facilè indè, acidâ contractâ ſtomachi cruditate, excitatoque vomitu, hypochondriorum ſubjit convulſionem, quæ acres eodem tempore ichores, diù intrà prægrandis lienis loculos, aliarumque

[a] de merced. conduct.

Digitized by Google

que glandularum folliculos fortè detentos, validè per ſanguifluas, lymphaticaſque venas, perindè quaſi per totidem ſyphones, versùs cor, & pulmones (diù jam ſemi–obſtructa, atque enervata) circumpulit, & injecit. Hi autem acerrimi ichores duplici ratione circulationem ſanguinis apud præcordia intercipere potuerunt, ſcilicet tum contentum fluidum coagulando, tum continentes canales convellendo. Etenim primo loco fermenta iſta ſalino–acria, ex hypochondriis repentè ſanguini affuſa, ejuſdem compagem, ac mixtionem maximè perturbarunt; unde, variatis cohæſionibus particularum, fluida componentium, earundem æquilibrium, atque indè fluxilitas, quæ ubique ferè æqualis eſſe debet, vitiata fuerunt; coactiſque proindè mutuò ſanguinis fibris, hîc grumi occurrerunt, & polypi; illic verò feroſitas intrà cavitates copioſiùs exundavit. Deinde verò hujuſmodi etiam acerrimi ichores moram injicere ſanguini cœperunt, in quantùm ſcilicet canalium convulſionem, quam Hippocrates interceptionem definivit, induxerunt.

*Præcordiorum labes à liene communicata.*

*Circulatio in jiſdem duplici ex causâ intercepta.*



Digitized by Google

*Vaſorum convulſio quomodo contingat.*

Cùm enim ſanguineorum textura ductuum tota fibroſa ſit, ac muſcularis; quoties particulæ præter naturam fluxiliores, & acutæ, à ſanguinis miſcellâ ſecedentes, intrà fibroſum rete magnorum vaſorum penetrant, neceſſariò, tanquam extranei cunei, eorundem criſpaturam producunt, & convulſionem, per quam, minoribus factis vaſorum diametris, fluxus neceſſariæ molis ſanguinis, devolvendi cum à corde in cerebrum, tum à cerebro in cor, impeditur; unde idem ſanguis, ob craſſiorem fibroſarum partium acquiſitam conſiſtentiam, atque ob viarum interceptionem, tandem circuire deſiſtit. Et quoniam, ex eodem [a] Hippocr., *cùm ſanguis non movetur, fieri non poteſt, quin univerſum corpus quieſcat;* in hoc ſanè vera ſyncopis, atque apoplexiæ, quinimo celeris hujus interitus ratio eluceſcit.

[a] 2. de morb.

*Cruenta ex naribus filamenta, vaſorũ interceptionis indicium.*

IV. In expoſito verò caſu, ut concretio fibroſarum ſanguinis partium ex polypis evidenter innotuit, ita ipſam interceptionem vaſorum cruenta filamenta, quæ de naribus, dum æger interiit, pendebant, clarè demonſtrarunt; nimirum

rum

rum venas jugulares, & ſuperiorem cavam ita fuiſſe convulſas, ut ſanguinem, quem à ſupernis venis exhaurire minimè potuerunt, per exiliores venarum naſi extremitates tranſverſim erumpere coegerint.

V. Quòd ſi ſimplex cavæ ligatura, docentibus primùm Lowero, ac Williſio, aſcitem ſex horarum ſpatio in cane, alioquin ſano, inducere poteſt; quantò ſanè celeriùs in noſtro caſu tot complicatæ cauſæ hydropem producere, atque hominem diù ægrotantem perdere valuerunt? Unà enim conjurarunt fuſæ, atque exuperantes ex coacto ſanguine ſeroſitates, pulmonum tunicæ dehiſcentes, & ſanguifera vaſa partim obſtructa, partim ſtrangulata, itaut hæc ſimul omnia inchoatum jam pectoris hydropem (quem ſanè eventum ſæpe vidimus) momento temporis compleverint: hinc ſerum, præ ſui copiâ, thoracis machinam extrudendo, ſolito elatiorem reddidit, intuſque, pulmones premendo, ſpatium ademit, in quod iidem, cùm nihil renititur, ob vim incumbentis per tracheam aeris, dilatari ſolent; cujuſmodi ſanè inſpi- *Hydrops ex cavæ ligaturâ.*

ſpi-

ſpirationis renixum mechanicè, exemplo phialæ, demonſtravit [a] Hippocrates.

[a] 4. de morb. num. 33.

VI. Patet igitur, præpeditâ in præcordiis liberâ ipſius ſanguinis trajectione, atque etiam prohibitâ reſpiratione, Ægrum hunc citò fuiſſe peremptum, & quidem conſpirantibus præfocatione, ſyncope, ac nervorum ſyderatione. Neque enim à cenſu cauſarum celeris hujus interitus excludendus venit defectus motus ſanguinis, & ſeparatio ſpirituum in cerebro, ubi adeò clara indicia coacti ſanguinis intrà meningum vaſa apparuerunt. Etenim, cùm ichores malefici apud miſerrimum Juvenem ex hypochondriis celerrimè in præcordia ponantur transducti; dubitari non poteſt, quin juxta citiſſimæ circulationis legem aliqua eorundem portio etiam ex præcordiis in caput, agonis principio, ocyſſimè derivata fuerit. Unde patet, quomodo ipſa quoque cerebri apoplexia in Ægri perniciem denique conſpiraverit.

*Ab hypochondriis ad cerebrum citiſſima infenſi liquoris derivatio.*

VII. Hæc profectò ſatìs nobis eſſe videntur ad morbi, mortiſque cauſam rimandam; niſi pro coronide velimus ade-

de-

Digitized by Google

dere nonnullas annotationes, ab ipſo extiſpicio deducendas, &

VIII. Primò quidem perpendenda venit ſingularis illa, per albas, tereteſque fibras, pulmonum cum coſtis colligatio, quam ſanè nobis rarò obſervare contigit. Adglutinatio ſiquidem pulmonum cum coſtis, quæ fit à validâ, & ubique æquali ſuperficierum pulmonum, & pleuræ cohæſione, frequenter occurrit; illa verò, quam in cadavere iſto offendimus, fortè majori ex parte congenita, non tota per morbum inducta aliquibus videbitur. Egregiè porrò hâc de re M. Malpighius in oper. poſthum. in reſponſ. ad Liparum, ubi iſtorum nativorum meminit vinculorum, quippe quos, ſicubi inveniuntur, inſpirationi admodum famulari, arbitratur.

*Pulmonum cum pleurâ per ligamenta cohæſio aliquibus fortè congenita.*

IX. Secundò rarum quoque ſe nobis præbuit curioſitatis argumentum, quòd, compreſſis pulmonibus, ſeroſitates, veluti ex imbutâ ſpongiâ, per dilatatos poros fuerint extruſæ. Hoc ſanè nequaquam contigiſſet, niſi duo in pulmonibus mala, colluvies nempe ſeroſa, atque extremorum vaſorum hiatus, ex ſalinis

icho-

ichoribus, tanquam ex cuneis, ampliores redditi, ſimul concurriſſent. Hinc claro experimento doceri poſſumus, in quem laxitatis ſtatum veniant vaſorum tunicæ, cùm in obſcuris, abditiſque abdominis locis ad aſcitis productionem dehiſcunt.

*Vaſorum dehiſcentia in aſcite.*

X. Tertiò negligi certè à doctis Viris non poterit examen cauſæ, cur ſanguis in cordis ventriculis non quidem conſvetâ tenaci denſitate, ſed friabili, ac diffluente conſiſtentiâ inventus fuerit. Hoc ſanè phænomenon ex defectu mixtionis rubræ cum fibroſâ, & albâ ſanguinis parte, quæ intrà cordis ſinus in polypos coaluerat, deduci poſſe, cenſemus: reliquum enim ſanguinis facilè diffluit fibrarum retinaculo ſolutum; ut paſſim contingere videmus etiam in extracto per venæ ſectionem cruore, in quo, cùm ſuperior pars in albam concreſcit gelatinam, inferior, quæ nigra apparet, ſemper ſolito fluidior occurrit.

*Morboſa ſanguinis in corde fluxilitas, unde.*

XI. Differendum aliquid ſupereſſet de cauſis, ac modo, quibus polypi intrà cordis, & ſanguiferorum cavitates concreſcunt, deque menſtruo acido, quo extra cor-

*Polypi acidis, non alkalicis, diſſolvuntur.*

corpus diſſolvi ſolent, quando alkalicis fixis, aut volatilibus nequaquam ſuperantur; ſed opus hoc, ſtudio, experimentiſque plenum, rejicimus ad Tractatum longè majoris laboris, atque utilitatis, quem de Corde, & Aneuryſmatibus adornamus.

# OBSERVATIO IV.

*Repentina mors ex convulſione thoracis, præcordiorum, meningum, ac totius corporis, in fortiſſimam apoplexiam ocyſſimè deſinente.*

## HISTORIA.

JOſeph Sali Piſtorienſis ann. 54. habitus mediocris, olim hæmorrhoidibus, & bilioſis diarrhæis vexabatur, quibus tempore deficientibus, ſepulti in pectore dolores, ac recurrens incertis diebus ſpirandi difficultas, abſque ullâ quidem anacatharſi, ſed cum faciei ſquallore, rigentique artuum fri-



Digitized by Google

gore illum urgere cœperunt. Ante menſem identidem in aſthmatis paroxyſmis penè animo linquebatur, atque ob gravia quædam pathemata miſerè, & cum mœrore vivebat. Tandem pridie ante mortem à Monialibus B. M. Aſſumptionis ad famulatum vocatus, laborioſam, ſedulamque operam, huc illuc feſtinando, proprias ultra vires, locavit. Denique, ſuffocativo correptus anhelitu, aphonus repentè factus eſt, & univerſo corpore convulſus, animam efflavit, facie admodum tumidâ, oculis intrà orbitam retractis, & ſpumâ ad os, ac nares confluente. Objit autem die 13. Martii 1706. horâ 23. in publicâ viâ, quæ ducit ad Templum S. Mariæ in Porticu.

## *CADAVERIS DISSECTIO.*

UNiverſa corporis ſuperficies excolor, facies verò rubicundo-liveſcens apparuit unà cum ſpumâ intrà os, & nares, quæ, amoto ſterno, alioquin valde depreſſo, per ſolam pulmonum compreſſionem copioſiùs redundabat. Virga, elapſis vi-

*Virga ſubrigida in cadavere.*

viginti quatuor horis ab interitu, adhuc ſubrigida cernebatur.

II. Univerſalia integumenta, cùm primùm cultro inciderentur, ſtatim fluidiſſimo, ſed atri coloris, ſanguine, perindè quaſi adhuc inter vivos verſaretur Æger, affluenter manabant.

*Summa ſanguinis fluxilitas in eodem.*

III. Reſerato abdomine, omentum, inteſtina gracilia, & meſenterium rubebant, diffuſo, ac detento per minima illarum ſpatia ſanguine.

IV. Pancreas ob morbidam ſubſtantiæ mollitiem ferè ductile deprehenſum fuit.

*Pancreatis mollities excedens.*

V. Hepar, quanquam neque mole, neque colore, aut ſubſtantiæ ratione à naturali ſtatu recedere videretur, in cyſti tamen bilem fluidiſſimam, ac ſubobſcuri coloris continebat. Cætera in abdomine viſcera prorſus illæſa, & integra invenimus.

VI. Aperto thorace, lerna malorum venit in conſpectum; etenim pulmones, utroque in latere, pleuræ, diaphragmati, & pericardio ita adhærebant, ut nec digitis evelli, nec cultro æqualiter ab imo ad ſummum ſeparari potuerint. Et quanquam in pulmonibus neque pus,

*Fortis pulmonum ad ſingulas in thorace partes adhæſio.*

*Eorundem rigiditas.*



Digitized by Google

neque ſerum occurriſſet, contractio tamen quædam, & renitentia, ſeu diminuta flexibilitas obſervabatur.

*Ira & cordis.* VII. Cor, licèt mole non magnum, adeò tamen tumidum, tenſum, & orbiculatum deprehendimus, ut in ſyſtole adhuc poſitum dixiſſes. Vena cava, & auricula dextera naturali diametro aliquantulùm ampliores, fluidoque ſanguine tumebant; quo ſanè cruore, & quidem multò fluidiori, ſcatebant ſiniſtræ cordis cavitates, in quibus nullus polypus, aut grumus latitabat.

*Valida duræ matris contractio.* VIII. Secto cranio, dura mater excolor, & ſupra cerebri corticem admodum contracta; pia verò, ſuis tumentibus ex fluido ſanguine vaſis, occurrit. Cùmque amputaremus portionem corticalis, & medullaris cerebri partium, vidimus (ut apud ſtrangulatos) puncta ſanguinea ſpiſſo agmine candidam medullæ ſubſtantiam variegare. Pallidam ſeroſitatem non apertis ſolùm ventriculis profiliiſſe, ſed ad uſque ſpinalem medullam redundaſſe, deprehenſum fuit. *Serum à cerebri ventriculis ad uſque ſpinalem medullam effuſum.*

*SCHO-*

Digitized by Google

## *SCHOLIUM.*

UNicam naſcendi, innumeras verò moriendi hominibus eſſe vias, nihil eſt, quod nos doceat apertiùs, quàm ipſa cadaverum ſectio, quæ occultas necis cauſas ad ſolis lucem evidenter exponit. Vidimus in præcedentibus extiſpiciis, quàm variæ moriendi rationes fuerint detectæ; nunc rara interitus cauſa ſe offert in deſcripto Ægro, ejuſque diſſecto cadavere. Etenim, quanquam morbus, quo deceſſit, vulgaris, ac notiſſimus videri poſſit alicui, qui ſolidarum vitia partium conſiderare ſolummodo velit; fuit ſiquidem vehemens, atque contumax convulſio præcordiorum, quæ, cerebro, & univerſo corpori communicata, aeris, ſanguinis, & liquidi nervei alternum fluxum, ac refluxum lethaliter præpedivit, unde fortiſſima tandem apoplexiæ ſpecies exorta eſt; attamen ſi ſedulò advertamus, per diſſectionem cadaveris ſingularem ſanguinis craſim innotuiſſe, uberiorem certè materiem admirandi ſimul, ac philoſophandi offendemus: inventus quippe

*Morbi hujus natura qualis*



Digitized by Google

pe fuit poſt integrum à morte diem cruor adeò ſolutus, & fluens, ut, ſi homo iſte funeri ſuperſtes fuiſſet, fluidior eſſe non potuerit. Hæc profectò ſanguinis in cadaveribus conditio ita raró exiſtit, ut, ſi quando id evenerit, portenti, ac prodigii ſimile numeretur; & quemadmodum ab inſolenti causâ proficiſcitur, ita vires, effectuſque nonniſi inſolentes noſtris in corporibus producere valet. Sed jam utraque tam ſolidorum, quàm fluidorum mala ſeorſim, diligenterque perpendamus.

*Sanguinis fluxilitas in cadaveribus rara.*

II. De mortifero præcordiorum, cerebrique ſpaſmo clara occurrerunt indicia ante, & poſt mortem, videlicet ſepulti in pectore dolores, difficultas reſpirationis abſque ullâ anacatharſi, angor ſuffocativus, ſpuma ex naribus, & ore, quæ preſſis pulmonibus, affluentior fiebat, ſternum depreſſum, oculorum retractio, totius denique corporis, atque ipſius etiam penis convulſio; quibus adjuncta fuit elegans obſervatio rotunditatis, ac tenſionis in corde, quæ probabiliter nos docuit, vitalem hunc muſculum, dum Æger interiit, pertinaci con-

*Signa, ſpaſmũ in præcordiis, & cerebro indicantia.*

convulſione fuiſſe correptum. Cui ſanè cùm ingens acceſſerit quantitas cruoris, intrà ſuas cavitates reperti, noſtrum ſubit animum dubitatio de inſuperabili renixu ſanguinis, qui, cùm ob pulmonum, totiuſque corporis convulſiones liberum in arteriis ſpatium invenire non poſſet, ut cordis pulſioni obſecundaret, neceſſariò intrà ventriculos, diaſtolis tempore, admiſſus, à quantâcunque cordis contractione urgeretur ad egreſſum, ſubſiſtere tamen, tandemque validiſſimè reniti coactus fuit. Unde poſtremus ille ortus eſt præcordiorum angor, penituſque, & ex tempore diſruptus vitalis ille circulus à corde in cerebrum, & à cerebro in cor. Qui ſæpe vivorum ſectionibus interfuerunt, ignorare nequeunt, ſanguinem, arteriâ magnâ caſu, vel arte compreſsâ, non invenire ſpatium, per quod liberè excurrere poſſit; unde cor manet plenum, immobile, ac rotundum, citòque animal moritur.

*Ex aortæ compreſſione cordis immobilitas, rotunditas, &c.*

III. Status deinde duræ matris clarè pariter nobis oſtendit pertinacem convulſionem, in quam ipſa paulò antè Ægri mortem venerat; inventa enim

eſt

eſt excolor, ſimulque contracta, ut non ſit hæſitandum, quin idem meningum ſpaſmus, qui cerebrum obſidebat, ac circumcingebat, univerſæ radix extiterit convulſionis.

*Spaſmus meningum univerſæ convulſionis origo.*

IV. Sed hæc notiora ſunt, quàm ut longius examen mereantur. Pergamus igitur ad particularem illam, & raram conditionem fluiditatis, quâ ſanguis non in præcordiis modò, & cerebro, ſed in toto etiam ſuccutaneo corpore donabatur. Hoc ſanè phœnomenon pro causâ habuiſſe ſuſpicamur non ſolùm violentiam motûs corporis, quam Æger poſtremo ſuæ vitæ die ſuſtinuit, & per quam id contingere cruori ſuo potuit, quod evenit in recenter effuſo, & diù in vaſe agitato ſanguine, qui eum ob motum in fibras coaleſcere nequit; ſed potiſſimùm exaltationem ſalium acrium, maximè ad urinoſam naturam accedentium, in homine, cæteroquin hæmorrhoidibus, ac bilioſis diarrhæis olim detento: qui profectò ſales, cùm per vehementem, crebròque repetitam corporis exercitationem, oleoſis ſpiritibus, & aqueis partibus, quorum miſcellâ cicurabantur,

*Sanguis in cadavere cur fluxilis adhuc perſtiterit.*

ex-

Digitized by Google

exhauſti fuerint ; nil mirum, ſi, intimè cum ſanguine agitati, ac permixti, eam fluxilitatem eidem conciliare potuerunt, quam induci paſſim videmus in extracto recenter è venâ ſanguine per additionem ſalis urinoſi, & præcipuè ſpiritus ſalis armoniaci.

*Salis urinoſi vis ad ſanguinem diſſolvendum.*

V. Cùm verò infuſiones liquidorum acrium intrà viventium brutorum venas nobis non ſemel oſtenderint, eaſdem præcordiorum, totiuſque corporis immanes convulſiones, quas illico mors ſequitur, inducere ; nihil eſt, cur dubitemus, quin vera cauſa convulſionum, quæ noſtrum Ægrum ad necem perduxerunt, extiterit copia hujuſmodi fluidorum ſalino-acrium, quæ, cùm nimiùm exaltata, & acutiſſima reddita, ex hypochondriis intrà ſanguineos canales magnâ copiâ tranſducuntur, veneni naturam induunt. Tunc enim propriæ exceſſu molis naturalem reliquarum in ſanguine particularum ſuperant proportionem, ac proindè ratione propriæ indolis cruorem non tantùm fluidiorem, ac mobiliorem, ſed, quod magìs eſt, procliviorem efficiunt, ut ex naturalibus vaſorum cancellis facilè ſe

*Conjectura de convulſionum causâ experimentis confirmatur.*

*Mali fomes in hypochondriis.*



Digitized by Google

proripiat, atque intrà ſtrictiſſimam compagem fibrarum muſcularium, vaſorum, & glandularum ultro ſe inſinuet, ac penetret; hinc nervorum, muſculorum, vaſorumque convulſiones, unàque ſimul incongruæ contentorum fluidorum ſeparationes, ac moræ, ut in præſenti caſu, ſolent contingere.

VI. Movet autem nos ad credendum, ſcatebram prædicti liquidi ſalino-acris, & armoniacalis in hypochondriorum folliculis latitaſſe, quòd obſervaverimus non ſolùm cyſticam bilem fluidiſſimam, ac ſubobſcuri coloris (cujuſmodi evadere ſolet artificiali admixtione ſalium acrium) ſed ipſum quoque pancreas lentorem plicabilem, ac ferè ductilem adeptum fuiſſe, qui planè oriri poterat ex diuturnâ, & copioſâ ſecretione fluidi acerrimi, ac diſſolventis, quod ſtrictam illius glandulæ fibrarum cohæſionem elimare, debilitare, ac ferè tollere valuerit; unde reſiſtentia minor, ſeu mollities major eo in viſcere producta fuit: quemadmodum ſanè in cadaverib. illorum, qui ex diabete perierunt, renes omnino flaccidi, plicabiles, ac ductiles, ob eandem rationem, inveniri ſolent.

*Diabeticorum renes ductiles.*

VII.

VII. Similiter non aliunde petenda eſſe videtur cauſa tam profundæ intruſionis ſanguinis intrà ſtrictiſſimam cerebri medullam, quàm ex convulſione continentium, ſimulque diſſolutâ nimiùm compage contenti liquidi, cujus major fluiditas, ut è ſuccutaneis vaſculis, ad ſimplicem integumentorum ſciſſionem erumpendo, prodiit; ita in cerebro ulteriorem penetrandi vim nacta fuit à meningibus, ſinubuſque convulſis, perindè quaſi à conſociatis ad circumpellendum manibus. Unde cruor, ad uſque medullarem cerebri ſubſtantiam expreſſus, rubentibus illam punctis variegavit.

*Sanguinis intruſio ad cerebri medullam unde.*

VIII. Ipſa quoque perſeverans poſt mortem penis tenſio (quæ rarò in ſtrangulatis non invenitur) præteritæ univerſalis convulſionis teſtis adfuit. Cùm enim virile membrum ſit muſculus mirabilis contexturæ; cæterorum inſtar muſculorum, ſpaſmodicas affectiones pati poteſt. Modum verò, quo penis juxta naturæ ordinem tenditur, egregiè tradidit [a] Malpighius. Illud tantummodo ad rem noſtram hìc perſtringimus, quòd, ſicuti ſpuria quædam colis erectio in cadaveribus ex-

*Penis muſculus.*

[a] In conſ. de impot. vener. apud Bibl. Med. Manget.

*Ejuſdem notha erectio in cadaveribus, quomodo excitetur.*



Digitized by Google

citari poteſt per ſolam injectionem tepentis cujuslibet liquidi intrà ejuſdem arterias, dummodo venulæ filo ſtrangulatæ, ne refluat, impediant; ita profectò non dubitamus, quin ejuſdem erectio, quæ ob nervorum, fibrarumque convulſionem, fluida in ſinubus fiſtuloſorum corporum intercipientem, ante hujus Ægri mortem cœpit, perſiſtente eodem fibrarum ſpaſmo, vel poſt mortem perſeveraverit.

*Sanguine fluxili exiſtente, quomodo facies pallida, & extrema frigida perduraverint.*

IX. Cæterùm non adeò laborandum in eâ dubitatione, quomodo ſcilicet ſtare ſimul potuerint ſumma fluiditas ſanguinis, & facies excolor, atque artuum illud frigus, quibus Æger iteratis in præfocationibus detinebatur. Etenim eadem vaſorum ſtrangulatio circa præcordia, quæ ſuffocativum aſthma ſæpe intulit, liberum ſanguinis per extremas arterias excurſum, & ignearum particularum per minima carnium diffuſionem præpediebat; unde caloris, ac vividi coloris privatio exoriebatur; quam ſanè privationem conſequitur ſenſus frigoris, quemadmodum apud hyſtericas mechanicâ iſtâ vaſorum lege accedere, ac recedere, paſſim ob-

Digitized by Google

obſervamus. Quo fit, ut magnus ille Medicorum Romulus, ut rectè [a] Hippocratem Solertiſſimus Baglivus noſter, poſt Sydenhamium, appellavit, ſcripſerit ad rem: – *Colorum mutationes, corde adſtringente venas* ( intellige etiam arterias ) *ac laxante, fiunt; laxante quidem, rubicundi, ac bene colorati; conſtringente verò, cum pallore lividi, &c.*

[a] lib. de off. nat. n.28.

*Juxta varias cordis affectiones colorũ in facie mutatio, ex Hipp.*

X. Mortuus itaque improvisò miſerrimus homo juxta magni Senis [b] effatum, cùm tam frequenter, ac fortiter abſque manifeſtâ, ſcilicet externâ, causâ animo defeciſſet; & denatus eſt ob complicationem trium malorum, ſuffocationis, ſyncopis, & apoplexiæ, quam ſub voce ſyderationis, ab acri humore pendentis, idem [c] Hippoc. per hæc verba, oraculorum loco habenda, accuratiſſimè deſcripſit: – *Cerebrum autem cladem perfert, etiam ipſum non ſanum exiſtens, ſed, ſi quidem radatur* ( en modus convulſionis ) *turbationem multam ſubſtinet, & cerebrum convellit, ac diſtrahit totum hominem* ( en convulſio univerſalis) *qui in ſe ipſo vocem non edit* ( en aphonia ) *& ſuffocatur* ( en ſuprema complicatio malorum, præfocationis ſcilicet, ſyncopis, &

[b] aph. 41.

*Triplicem ob morbum hic Æger periit.*

[c] l.de gland. n. 9.

*Hippocratis oraculum.*

apo-

apoplexiæ) demum concludit, – *& hæc affectio ſyderatio, & apoplexia appellatur:* – quæ quidem non ſemper in ſolo cerebro quærenda eſt: Aliquando in vaſis, aut cavitatibus cordis obſtructis, compreſſis, atque convulſis, intercepto cruore, deliteſcit. Sæpe in uno ægro multæ partes, immo omnes obſervantur affectæ, vitio vel primario, vel ſecundario, ut ſcitè advertit Thomas[a] Bartholinus, & nos in præſenti caſu notavimus.

*Syderatio interdum à corde, ejuſque vaſis derivatur.*

[a] conſ. de Anat. pract.

---

## OBSERVATIO V.

*Improviſa mors ex ſubitâ cavæ intrà pericardium diſruptione, cum aneuryſmate arteriæ magnæ.*

### HISTORIA.

STephanus Aſcieri ſutor Januenſis, ſexagenario major, habitus carnoſi, octo abhinc annis podagrâ, & chiragrâ circa æquinoctia graviter vexatus, ante biennium tuſſi cum ſpirandi difficultate de-

tineri cœpit ; deinde cordis palpitationem , & ſepultum quemdam ſub dextero ſterni latere gravativum , atque interdum acutum dolorem , ad uſque humerum propagatum , pectoris anguſtiam , ac profundam pulſationem paſſus fuit.

*Sepultus ſub dextero ſterni latere dolor cum palpitatione cordis.*

II. Decurſu proximè præteritæ hyemis non raró corripiebatur etiam vertigine cum ſenſibili capitis excalefactione, ac præcipiti virium lapſu . Quare ſæpe ad ſuendum ineptus reddebatur . Dimidium Quadrageſimæ ſalſamentis tranſegit . Tandem die 14. Martii 1706. horâ 17. cùm à prandio merum ingurgitaſſet , ſtatim aphoniâ , atque angore cecidit exanimis.

*Vertigo tenebricoſa.*

## *CADAVERIS DISSECTIO.*

MIrabile profectò nobis viſum fuit , quòd nullum in abdomine contentum viſcus à naturalis œconomiæ legibus receſſiſſet ; adeò ſingula colore, mole, ac ſubſtantiæ ratione optimè conſtituta occurrerunt . Sola cyſtica bilis ſubobſcurum quid referebat.

II.

II. Horrendum è contrario ſpectaculum thorax nobis exhibuit ; detracto enim ſterno ( quod parte ſui dexterâ elatius erat ſiniſtrâ ) dexter pulmo rubicundior , & pleuræ admodum adglutinatus, cum adnato duro, & magno corpore apparens , curioſitatem noſtram lactavit, ut diligentiùs rei novitatem detegeremus . Latebat enim ſtatim extra pericardium aortæ aneuryſma ; deinde adacto cultro , illico lamellam oſſeam deprehendimus figuræ ovalis, quæ externam dilatatæ arteriæ partem , quâ ſternum , coſtaſque dexteras reſpicit, occupaverat . Sub eâ laminâ, & circùm aortæ cavitatem , quæ anteriùs poſita eſt , polypeam ſubſtantiam, inſtar lardi, in fornicem adeò concinnè incruſtatam invenimus , ut nunquam aliàs in aneuryſmatum cyſti ſimilem detegere datum fuerit ; hoc ſiquidem corpus igne priùs liquatum , & mox frigore integrè concretum videbatur ; non enim in multiplices laminas, ac veluti in folia diſtrahi ( ut paſſim ſolet ) patiebatur . Unde conſtitit, validum aggerem pulſioni ſanguinis versùs externas partes poſitum fuiſſe.

*Dextera ſterni pars elatior.*

*Aortæ aneuryſma.*

*Lamella oſſea in aneuryſmate.*

*Rara polypi conſtructio in aneuryſmate.*

Fa-

Digitized by Google

Facie verò, quâ pulmones tanguntur, minori polypeo repagulo obſeſſam, tectamque aortam deprehendimus. Aneuryſmatis interea cavitas tam ampla occurrit, ut pugnum facilè admiſiſſet, tamque grumoſo plena ſanguine, ut nihil fluidi ampliùs capere poſſe videretur; nuſquam tamen magno aliquo foramine dehiſcebat, licèt ad cordis baſim intrà pericardium, & ad inferum latus aneuryſmatis nigræ quædam ſtriæ, majorum fortè futurorum hiatuum indicia, obſervatæ fuerint. Longitudo ipſius aneuryſmatis non excedebat longitudinis aortæ, quà curva eſt, dimidium, quæ proindè aorta cum ſupra, tum juxta cor nativam diametrum, ac fibrarum validitatem ſartam, tectamque eleganter ſervabat.

*Striæ ad latus aneuryſmatis quid indicarent.*

III. Sed non hìc malorum finis; etenim, cùm ipſum pericardium maximè tumidum, molle tamen, animadverteremus, ſuſpicati fuimus de latente aliquo præternaturali fluido. Sectum proindè ingentem dedit, quantam ſcilicet capere poterat, effuſi, atque in grumos converſi cruoris quantitatem, quæ certè duarum librarum pondus excedebat.

*Concreti ſanguinis copia intrà pericardium.*



Digitized by Google

Sanguis verò effluxerat, aperto intrà ve-ſtibulum venæ cavæ juxtà dexteram auriculam foramine diametri unciæ circiter unius, quod paulatim ab erodente liquido factum fuiſſe in muſculari ejuſdem texturâ, planè indicabant ipſius oræ, quæ non in fimbrias, ac lacinias ſolutæ, ſed veluti per limam omnino expolitæ obſervabantur. Quominus autem ſanguis multò priùs intrà pericardium exundaverit, impedivit forſitan ſubtilis illa, in quam muſcularis deſinit, tunica, quæ, hiatui ſuperextenſa, egreſſum claudebat, cujus tunicæ tenuata fragmenta ad ulceris extrema videbantur pendere.

*Venæ cavæ ruptura.*

IV. Secto tandem cranio, niger ſanguis ex vulnerato forte fortunâ poſteriori ſinu duræ meningis largè profluxit; quod genus magnâ pariter copiâ in lateralibus ſinubus continebatur. Ventriculi cerebri limpido tumebant ſero, quod ad principium ſpinalis medullæ redundaverat.

*SCHO-*

## *SCHOLIUM.*

ADeò perſpicuè patet natura, & vis lethalis mali, quo hic homo ſubitò deceſſit, ut nullo penè commentario indigere videatur. Etenim, cùm integritas, & continuitas magnorum ſanguiferorum ad vitæ conſervationem omnium maximè ſit neceſſaria; mirum proculdubio videri non debet, ſi, adeò enormiter dilatatâ arteriâ magnâ, & abruptâ repentè continuitate, & integritate ſummi caudicis venæ cavæ, fluxus ſanguinis à venis in cor, atque à corde quaquaverſum unà cum vitâ illico in expoſito Sene defecerit.

II. Poſſem hìc de ortu, ac diſcriminibus aneuryſmatum plura diſſerere; ſed, quia nunc ſcholiorum brevitati ſtudendum, aptiorem illis locum, volente Deo, tribuemus. Id verò crebra experientia nos edocuit, aneuryſmata præcordiorum apud Ægros, erodentibus ichoribus refertos, plerunque incipere ab univerſali quâdam ſpaſmodicâ arteriarum affectione, quæ poſtremò in corde, aut ſummis vaſis determinatur.

*Præcordiorum aneuryſmata ſæpe ab univerſali arteriarum ſpaſmo incipiunt.*



Digitized by Google

*Clariora præſati morbi indicia.*

Quo fit, ut primùm de vagâ, atque huc illuc per collum, & artus errante arteriarum palpitatione conquerantur. Deinde intrà pectus malum ſiſtitur, ſæpe tuſſis urget, cor ſalit, & graviùs pulſat, mox ſepultus, ac brevì fugitivus corripit dolor, qui poſtea pertinaciùs hæret, & modò ad alteram ſcapulam, claviculamve, modò per brachium, quandoque uſque ad cubitum propagatur. Tandem profunda perſentitur pulſatio; elevantur alicubi coſtæ, aut ſternum; cæteraque ſuccreſcunt gravia, & prorſus miſeranda atrocis hujus mali phænomena, quæ utplurimum ſubitâ morte finiuntur.

III. At verò, quanquam omnia, & ſingula ſymptomata, quibus hic homo ſuorum initio malorum tentatus fuit, & an eadem vexaverint, quæ ſuperiùs expoſuimus, noſcere minimè potuerimus; attamen qualiſcunque morbi progreſſus, quem ab illius familiaribus ſedulâ inquiſitione comperimus, atque extiſpicio præfiximus, ſatìs oſtendit, ejuſdem corpus, podagrâ obſeſſum, acribus, pungentibuſque ichoribus (ut vel cyſtica bilis argumento fuit) redundaviſſe;

qui

Digitized by Google

qui ſanè ichores, cùm per biennium ante illius mortem ſubſiſtere cœperint in præcordiis, tuſſim excitarunt, & paulatim, comitantibus doloribus, pondere, atque anhelitu, intrà ſubſtantiam tendineam aortæ, ſimulque muſcularem venæ cavæ intercepti fuerunt, quibus in locis, veroſimile eſt, primùm irritationem, & convulſionem cum cordis palpitatione, deinde verò iſtorum etiam canalium exeſionem, tandemque inchoatam fuiſſe diloricationem, in quâ vera aneuryſmatum natura conſiſtit.

*Aneuryſmatis natura in quo conſiſtat.*

